





DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA
DE
FIDE LIVII RECTE AESTIMANDA
SECTIO I.

QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO LOCO IN EODEM OBTINENDO
SIMVLQVE
PRO IVRIBVS MAGISTERII LIPSIENSIS OPTIMIS
DIE XXVI. AVG. MDCCCXII
H. L. Q. C
DEFENDET

CHRISTIANVS KRVSE
CONSILIARIVS AVL. HOLSAT. OLDENB. LITERARVM HISTORIAE STVDIIS ADIVVANTIVM
PROF. PVBL. ORD. DESIGN.

ADSVMTO AD RESPONDENDVM FILIO

FRIDERICO CAROLO HERMANNO KRVSE
THEOL. CVLT.

LIPSIAE
TYPIS VOGELIANIS

VIRO PERILLVSTRI

ATQVE EXCELLENTISSIMO

LIBERO BARONI A FERBER

POTENTISSIMO REGI SAXONIAE SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI
DRESDENSIS PRAESIDI

FAVTORI AC PATRONO

SVMMA PIETATE COLENDO

DEVOTISSIME

D. D. D

AVCTOR

Sunt quidem inter eruditos forsan haud pauci, qui recentioris historiae cognitionem, quamquam non prorsus fugiant, tamen omnibus aliis postponant studiis; qui autem antiquitatis historiam, in primis Romanorum aeque habeat incognitam, credo esse neminem. Vt enim eorum, qui in ullum literarum incumbunt studium, optime quisque est institutus, ita et ab ineunte iam aetate cum clarissimis illis, quae historiam Romanam illustrant, ingeniis consuetudinem quandam coniunxit et familiaritatem. Hinc fieri animadvertimus ut teneris iam inhaerescant penitus animis exempla et exitus Lucretiae, Coriolani, Virginiae, Deciorum, et quis est, qui possit omnia, quae in eadem historia splendent, aeterna nomina aut breviter recensere, aut semel cognita unquam oblivisci? At non animum modo delectat pascitque historia Romana, sed omnibus etiam, quae adolescens deinceps iuvenisque tractat, literarum studiis ultro se adiungit, ut qui in ullo eruditionis genere ad solidam velit adspirare doctrinam, nemo illa comite atque duce possit carere.

Minime igitur est mirandum, proximis ante nos saeculis doctissimum quemque maxime in Romanorum etiam historia fuisse versatum, tantamque magnorum voluminum, quae nihil aliud quam Romanam antiquitatem explicarent, a summis in quacunque scientiarum parte viris esse congestam molem. Refrixit quidem postea hic ardor, praesertim ex eo, ut videtur, tempore, quo non pauci (disputandi, credo, quam veri inveniendi cupidiores) totam antiquissimam Romanorum historiam suspectam reddere gestiverunt. Non tamen prorsus defuere inter eruditos, praecipue etiam in hac

nostra literarum universitate, qui in illo studio magis magisque excolendo omnem operam collocarent. Alii enim, cum omnium fere populorum antiquissima historia non nisi traditionibus constet ore exceptis, aut sola adeo apud finitimos fama atque exterorum scriptorum nitatur fide, Romanorum contra historiam, quamquam et eidem nonnullas adspersas esse fabulas haud negarent, ab origine propemodum Vrbis certissimis simul *publicis* atque *privatis*, iisque *aequalibus* atque *domesticis* niti monumentis, ad summam ostenderunt perspicuitatem. Copiosissime id fecit *Chr. Saxius* in *Stricturis iu nuperum Franci cuiusdam* (Bellefortii) *libellum de incerto historiae Romanae antiquissimae* [1]), quibus nuper etiam Vir illustris, multoque doctissimus, *Beckius* noster in *Epicrisi quaestionis de historiae Romanae antiquissimae fontibus et veritate* [2]) ea addidit, quae recentissimi aevi usibus inservirent. Idem quoque in praefatione ad Fergusonii historiam Romanam scripta iam A. 1784 accuratissime exposuit, qua ratione vera et falsa in hac historiae parte essent discernenda. Velim, quae in his scriptis disputata sunt, ea, ne idem Sisyphi saxum perpetuo nobis sit versandum, ab omnibus, qui de historia Romana in posterum iudicare volent, diligentissime perpendantur. Alii autem non minus caute atque luculenter exposuerunt, tum quid de totius (ergo et Romanorum) historiae fide recte statui posset, tum quae singulis Romanis historicis esset habenda fides. Illud admodum distincte factum est in Dissertatione de *fide historica recte aestimanda* praeside *Ernestio* a *Stieglitzio* proposita, hoc pariter in Disputatione iam A. 1775. a Viro maxime spectabili, Ampliss. Philos. Ordinis in hac nostra Academia h. t. Decano, *Gottfr. Aug. Arndtio* conscripta, qua acutissime inquiritur, *quatenus Taciti de Germania libello fides sit tribuenda.* Nec defuere apud

1) v. Miscell. Lips. nova T. I. p. 409 — 495, 621 — 712; T. III. p. 40 — 79. (A. 1742.); T. II. p. 235 — 329, 735 — 759.

2) Lipsiae 1812.

nos, qui de *Livio* etiam decernerent. Notissima enim est illa, quam inter additamenta ad suam Livii editionem Drakenborchius servavit [3]), *Joecheri* quondam nostri, seu potius, qui ipse auctorem se profitetur, *Parreidtii*, *de suspecta Livii fide* dissertatio, quae tamen meo quidem iudicio non eodem, quo ea quae hactenus laudavi scripta, loco atque numero est habenda. Auctor enim, quisquis nominetur, multa quidem adversus Livii fidem adfert argumenta, quae etsi non firma satis sunt, speciem tamen habent, nec ab eo, qui verum inquirit, non sunt audienda: sed an non saepe etiam iusto acerbius in egregium scriptorem invehatur, vix credo ambigi posse. Non tantum enixe contendit: „Livio subsidia defuisse, quo„rum ope certam accuratamque antiquae Romanorum historiae ac„quirere potuerit notitiam" [4]); sed veritatis quoque studium in eo desiderat, omnique opera demonstrare conatur, „superstitiosum „eum esse, credulum, negligentem; nimis eum laudare populum „Romanum, dissimulare dedecora Romanorum, laudare exem„pla, quae vituperanda potius fuerint; amicis suis nimis eum favere, „hostes P. R. odio habere, ut quae in suis laudet, in his ea vitu„peret" rel. Concludit deinde, Livio non nisi in iis narrationibus fidem habendam, in quibus cum Polybio, Dionysio, Appiano aliisque bonae notae scriptoribus consentiat [5]). Ne tamen iniuria eum lacessivisse videatur: „neque ego ipsi, inquit, *recentiorum temporum* res gestas delineanti adeo diffiderem; tum enim maior historiae lux

3) V. VII. p. 230. Scripta est Lipsiae 1743.

4) In hoc Bellefortius, ceterique omnes, quibus tota antiquissima Rom. historia suspecta est, cum eo consentiunt, nec ego ipse prorsus dissentio, ut tamen paucissima sint, in quibus Livio auctores idoneos defuisse censeam.

5) Sunt inter eos, qui de antiquitate Romana scripserunt et alii, qui, ut mihi quidem interdum visum est, Graecitatis quodam et Graecorum omnium scriptorum singulari amore Livium his ita postponant, ut omnia sibi dixisse videantur, ubi adducere possunt: at illi aliter! Quod quanquam in singulis nonnullis quaestionibus rectissime fieri haud nego: saepe tamen et perperam factum esse credo.

adfulgebat". Paullo quidem postea mitius idem *Parreidtius* in ea, quam ad Quinctil. Instit. orat. X. 1. scripsit, *de lactea Livii ubertate* dissertatione de eiusdem fide iudicandum sibi putavit [6]). In hac enim iis quoque narrationibus, quas a Dionysio Halicarnassensi aliisque scriptoribus praetermissas Livius solus memoriae tradidit, aliquam tribuit auctoritatem, adeoque multos etiam aliorum scriptorum errores famamque temere creditam eum reiecisse haud negat. Nec tamen temperare sibi potest, quin ex eodem, quem commentatur, Quinctiliani loco iterum demonstrare conetur, „Livium di„ctionis elegantia a rerum fide paullulum esse abductum, et eloquen„tiae magis quam rerum veritatis fuisse studiosum". Quae omnia quomodo sint existimanda, pluribus infra examinare constitui.

Fateor enim et me a primis adolescentiae annis tanto Romanae historiae amore fuisse incensum, ut omne facile in vita otium huic studio tribuissem, nisi officiorum cum muneribus a me susceptis coniunctorum me aliis rebus tenuisset occupatum religio, simulque, ubi tempus aliquod vacabat, in paedagogicae artis, grammatices vernaculae, geographiae historiaeque universalis et alia omnia me avertisset studia. Nunquam tamen prorsus avellere poteram animum a legendis scriptoribus illis, qui res Romanas memoriae tradiderunt; saepissimeque revocabant ad alia me negotia iam properantem aut sedula Polybii in indagando vero cura, aut Crispi Sallustii, Corneliique Taciti ponderosa brevitas, aut frugifera Dionysii Halicarnassensis largitas, aut denique rerum ab omnibus ceteris historiae Romanae auctoribus narratarum ipsa magnitudo. Nihil tamen in istis omnibus aeque semper admiratus sum atque adamavi, ac in Livio illud ipsum, quod, quos nominavi, eius adversarii in eo desiderant, *ingenuam* eius *fidem*, *animique* et *orationis candorem*. Cumque Joecheri illa aut Parreidtii adversus Livium declamatio, celeber-

6) Prodiit Lipsiae 1746.

rimo servata loco, motaeque ab aliis in eum suspiciones nunquam non me pungerent, idque eo magis, quo plures adhuc doctissimos viros non tantum de Livii, sed de totius etiam antiquissimae Romanorum historiae fide dubitare intelligerem [7]: iam pridem constitueram ea, quae in hac disputatione neglecta esse mihi videbantur, ulteriori eruditorum hominum data occasione proponere disquisitioni.

Eo laetior igitur nunc, ex quo POTENTISSIMI REGIS, SAXONIAE, OPTIMI novae PATRIAE PATRIS summa indulgentia munus Professoris in hac illustri omnis eruditionis sede mihi demandatum est, ad pristina quoque illa revertor studia, quibus alui iuventutem; et neque ab officiis iam susceptis alienum, neque iis, qui historiam amant, prorsus ingratum fore arbitror, rerum gestarum memoriae principis olim terrarum populi, ut cum Livio loquar, et me, quantulumcunque potuerim, consuluisse.

Ne autem acta agam, non de totius antiquissimae Romanae historiae disseram veritate; sed unius huius *Livii fidem*, quantum potero, defendam, ita tamen, ut egregium hominis exemplum sequar, eodemque veritatis studio, quo ipse de Romanis eorumque rebus, et ego de illius scriptis iudicem. Accuratius enim, quam ab adversariis factum est, distinguendum esse arbitror inter ipsius *auctoris fidem* (subiectivam) sive *sinceritatem* eius, *veritatisque studium*, quo nemini eum cedere, omnes fere superare credo, et *fidem* (obiectivam) sive *veritatem rerum* ab eo *narratarum*, quas quidem non omnes eodem modo certas esse lubens concedo.

Vereor quidem, ne audacius agere videar, quam conveniat mihi, cum rem maxime impeditam atque litigiosam publicae cum doctissimis viris subiicio disputationi. Notissimum enim est, multa esse in hac quaestione, quae ita, ut nihil dubitationis maneat cuiquam,

7) Nuper adiunxerunt se iis *Levequius* et, qui omnes illos doctrina et ingenii acumine longe superat, *Niebuhrius*, uterque novae alicuius novaque ratione conscriptae Rom. historiae auctor.

post tot saecula expediri nequeant; unde et ego inverecundus sim, si non ea, de quibus ex coniectura tantum iudicari potest, certiori eruditorum omnium virorum iudicio integra relinquam. Sed id ipsum eo minus me deterret ab opere incepto, quo magis sperare mihi licet, fore, ut facillime perspiciant lectores, me potissimum id modo spectare, ut audiatur et altera pars, ac nihil aliud me agere, quam ut nimiae *festinationi* hyper-critici huius eruditorum aevi, quod pari severitate atque contemptu in antiqua et non recentissima fere *omnia* grassatur, in *hac* certe *quaestione* ulla ex parte occurram.

SECTIO I.

LIVIVS, VT IN TOTO OPERE, ITA ETIAM IN ANTIQVISSIMA ROMANORVM HISTORIA SVMMVM VERITATIS STVDIVM OSTENDIT.

§. 1.

Iam dudum Graecia Herodotum suum habuerat, et Thucydidem, cum Cicero quidem inter Romanos, quem historici nomine dignum censeret, adhuc nosset neminem [8]). Sed paullo post duo fere simul scriptores tantam in hoc genere assecuti sunt laudem, ut tota eos posterior antiquitas summis istis historicis aequipararet, Crispus nimirum Sallustius, et T. Livius Patavinus. Hic praesertim, iam antequam ad finem perduxisset opus suum, omnium lectorum, in primis etiam ipsius Augusti favore exceptus est et applausu, ut in historiarum suarum quodam, quod periit, volumine ipse dixerit, „si gloriae tantum suae scripsisset, se iam potuisse desinere [9]).

Verum quidem est, Livium hanc sui admirationem praecipue scribendi suo genere et f a c u n d i a sua sibi peperisse, in his enim laudandis omnes veteres consentiunt et paene sunt effusi [10]), unde suspicari forsan aliquis possit, eos fidem illius non eodem modo

8) De leg. I. 2. *abest historia literis nostris.*

9) Plin. hist. nat. in praefatione.

10) Quinct. instit. orat. X. 1. „*At historia non cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear, nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium cum in narrando mirae iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem, ita dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata.* — Eodem modo Tacitus, Plinius, aliique Livium *disertissimum* vocant, et. D. adeo etiam Hieronymus ut *lacteo eloquentiae fonte manantem* eum admiratur.

probasse. Quod tamen qui nobis persuadeamus nihil est. Historiae enim non est eadem ac poeseos natura, ut fictis quemquam fabulis delectare possit, nisi ineptissimum [11]). Veteres certe veritatis studium ab historico quovis ita postulaverunt, ut haud magnam ei laudem se crederent tribuere, quem tantum *non mendacem* esse dicerent [12]). Vnde et Polybius recte iam contendit, historiam, si veritatem ex illa sustuleris, nullius omnino usus esse [13]), et Cicero *neminem nescire* dicit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat [14]), quam ob rem nec Herodoto, quem alias plurimi facit, *fabulas tacite ignoscit.* Persuasum igitur mihi habeo, Quinctilianum, Senecam, Tacitum omnesque ceteros, qui Livii facundiam tantopere admirantur, cum satis adhuc scirent, in historia Romana quid potuerit praestari, si fidem Livii suspectam habuissent, id silentio non omnino praeterituros fuisse. Et quae tandem est ista Livii eloquentia? Non illa Flori aut Curtii et aliorum, quae studio et arte, poetarum in primis imitatione paratur; est potius naturalis illa cuiuscunque non indoctissimi hominis facundia, qui ubique *rem ipsam* et quae rebus et personis apta sunt, consuevit dicere, qui, quae narrat, ea et ipse sentit, in narrando ceteroquin ab omnibus rerum et orationis ineptiis remotus neque contortae studet brevitati, neque in vanam se effundit loquacitatem. Est in manibus Livius, nec quemquam esse arbitror, qui de eloquentia eius aliter sentiat. Hanc autem eloquentiam veritatis studio coniunctissimam esse, ita ut cum summa rerum fide propemodum una eademque sit, nemo non videt. Eodem modo ipse etiam Livius de virtutibus, quibus excellere deberet historiae scriptor, iudicavit. Iamiam

11) Cic. de leg. I. 1. „*Intelligo, te alias in historia leges observandas putare, alias in poemate, quippe cum in illa ad veritatem referantur, in hac ad delectationem pleraque.*

12) Cic. de orat. II. 12.

13) Hist. I. 14.

14) Cic. de orat. II. 15.

enim in operis exordio sui haud obscure indicat, non magis eloquentiae quam veritatis studio se iis, qui res populi Romani antea perscripsissent, aemulaturum esse, nec quidquam fore, quod animum, quamquam sollicitum forsan efficiat, a vero flectere possit. Quod quam serio vereque dixerit, infra pluribus ostendam. Nec apud veteres eximia ista et singularis Livii in narrando fides iusta caruit admiratione, unde Cremutius Cordus septimo vix post auctoris mortem anno non eloquentia tantum sed etiam *fide* iam *inclaruisse* eum testatur [15]). Flavius etiam Vopiscus, quamquam Livium non minus quam omnes historicos mentitum aliquid esse aut potius (quemadmodum certe et ipse hoc voluit intelligi) errasse contendit: in eo ipso summam, quam potest, eius fidei tribuit laudem, quum illis eum adnumerat historicis, quorum in investigando vero diligentiam, in narrando fidem omnibus maxime cognitam esse sciret atque spectatam [16]); ex quo satis patet, quid de Livii auctoritate eo tempore iudicaverint omnes. Infra autem (§. 10. 11.) et alia veterum eiusdem argumenti testimonia magis opportuno loco adferenda mihi erunt.

§. 2.

Nullo tamen pacto praetereundus mihi est etiam Quinctiliani ille in Instit. Orat. X. 1. locus, ex quo, ut iam dixi, Parreidtius demonstrare conatus est, Livium orationis elegantiae magis quam rerum veritatis fuisse studiosum. Qui autem accuratius perlegerit omnia, facillime sane perspiciet, in tota oratione non nisi de eloquentia *forensi* esse sermonem. Monet Fabius caussarum patronos,

15) Tac. ann. IV. 34. — Quae de Cremutio hoc loco narrantur, facta sunt A. V. C. 778, postquam Tiberius vix decem annis regnaverat; Livius autem mortuus est quarto eius imperii anno; v. Euseb. chron.

16) In Aureliano c. 2. „*me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur.*“

historiam iis sic esse legendam, ut sciant, plerasque eius virtutes oratori esse vitandas; historiam enim scribi ad *narrandum*, non ad *probandum*, totumque opus componi non ad actum pugnamque praesentem, sed ad memoriam posteritatis; oratori autem forensi id maxime esse enitendum, ut clientis caussam *iudici* quam luculentissime *probet*, ideoque non magis a nimia brevitate quam orationis ubertate sibi caveat. Eodem consilio deinceps: „itaque *neque illa*, „inquit, *Sallustiana brevitas* — apud occupatum variis cogitationibus „iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est, neque *illa Livii* „*lactea ubertas* satis docebit eum, qui non *speciem expositionis* sed „fidem quaerit.“ Minime igitur fidem Livii atque auctoritatem impugnat Fabius, sed docet tantum, eius in narrando ubertatem caussarum patronis esse vitandam, in quo facile quisque ei concedit.

§. 5.

Quam studiose autem elaboraverit Livius, ut nihil nisi vera et certa, aut in dubiis rebus quae maxime essent veri similia traderet lectoribus, vel ex eo conspicitur, quod vetustiores annalium scriptores, ut vere eum dixisse credo, *omnes* consuluit, [17]) *fide dignissimos* secutus est.

Longum esset, de omnium, quos passim laudat, ingenio et fide disserere; dicam tantum de paucis. Habebat *Fabium Pictorem*, qui primus post A. V. C. 535 historiam Romanam ab ultima origine perpetuis digessit annalibus, idque eo facilius praestare potuit, cum eo tempore non tantum Annales Maximi, qui Cicerone teste [18]) ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maxi-

17) L. IV. 20. *Omnes ante me auctores secutus* rel. — Hoc autem, quum isti adhuc in omnium manibus essent annales, temere asseverare non potuit. Legit igitur et consuluit omnes, quod etiam ex infinitis locis, ubi accuratissime exponit, quid multi, quid pauci, quid denique omnes narraverint, luculentissime patet.

18) De orat. II. 12.

mum [19]) singulorum annorum historiam breviter exposuerunt, plurimaque alia antiquitatis monumenta certe adhuc exstarent, sed ipsius etiam maiores maximis fere omnibus Romanorum rebus aut interfuissent, aut adeo praefuissent, ut quodlibet alicuius Fabii nomen simul tempus aliquod et factum memorabile in memoriam revocaret. Habebat *M. Porcii Catonis*, qui eodem fere tempore scripsit, Origines, quae quantae utilitatis cuivis historiae Romanae scriptori fuerint, e Cicerone, Cornelio Nepote, Plinio et aliis notissimum est. Nec minorem ei afferebat usum *Cincius Alimentus*, qui eodem tempore non tantum annales, sed etiam fastorum libros, et commentarios de consulum potestate, de officio iuris consulti, de verbis priscis, et de re militari scripsit, unde et ipse Livius eum diligentem veterum monumentorum auctorem dicit [20]). Habebat porro haud multo inferiores aetate *L. Calpurnium Pisonem, C. Fannium* et, qui post aliquanto scripsit, *Coelium Antipatrum*, quem quidem Cicero ut magis iam disertum et comtum omnibus illis praefert [21]). Brutus etiam hoc Coelio Fannioque ita delectatus est, ut utriusque annalium ipse sibi epitomas faceret [22]); quid autem in his scriptoribus potissimum quaesiverit, cum is, qui epitomen eiusmodi scribit, id non styli sed ipsius historiae caussa facere videatur, facile intelligitur; et Coelium quidem Cincii Alimenti non dissimilem fuisse, ex Aelio quoque Spartiano haud obscure colligas [23]). Habebat denique Livius praeter Polybium ceterosque complures, qui sui tantum temporis historiam reliquerant, *Sext.* et *Cn. Gellios, Clodium Licinium, L. Sisennam, Claudium Quadrigarium, Licinium*

19) Vixit ille Sullae tempore, et A. V. C. 670. a C. Mario occisus est. v. Liv. epit. LXXXVI.

20) L. VII. 3.

21) De orat. II. 12.

22) Cic. epist. ad Att. XII. 5, XIII. 1. Idem Brutus Polybii etiam historiam excerpsit, v. Plut. in eius vita.

23) In Adriano c. 16. *Amavit praeterea genus dicendi vetustum; Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit.*

Macrum, *L. Aelium Tuberonem* [24]), aliosque multos antiquitatis studio et industria insignes.

§. 4.

Recte autem Livius iudicavit, ex his eos in primis auctores ut plurimum sibi consulendos esse, qui ipsis rebus aut aetate fuissent proximi, aut in eruendis antiquissimis monumentis praecipue elaborassent. Cuius quidem diligentiae haud obscura etiamnum vestigia reperiuntur. Exstat enim apud Livium adhuc L. I. c. 24. antiquissimum foedus inter Romanos et Albanos regnante Tullo Hostilio ictum; et c. 26. ipsa lex, qua Horatius ob interfectam sororem prope non est damnatus. Eodem libro c. 32. servatam legimus formulam fecialis, qui nomine populi Romani Quiritium populis Priscorum Latinorum Anco Marcio regnante bellum indixit. L. III. c. 64. reperiuntur ipsissima verba legis de numero tribunorum plebis A. V. C. 306. a M. Duilio recitatae; L. VI. c. 29 inscriptio tabulae a T. Quinctio A. V. C. 375. sub signo, quod in capitolio ob victoriam de Latinis dedicaverat, fixae. L. VIII. c. 9. exstant adhuc verba Decii, quibus A. V. C. 415 praeeunte pontifice in bello cum Samnitibus se devovit, ubi Livius c. 11. addit: *Haec (etsi omnis divini humanique moris memoria abolevit, nova peregrinaque omnia priscis ac patriis praeferendo), haud ab re duxi, verbis quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre.* Sic etiam L. IX. c. 10. recitantur verba A. Cornelii Arvinae fecialis, quibus Postumium Cos. et tribunos post cladem Caudinam Samnitibus tradidit; et L. X. c. 19. verba Appii Claudii Cos. quibus A. V. C. 456. in proelio adversus Samnites templum Bellonae vovit.

Nec obscure et in aliis locis, quicunque suspicione non iam praeoccupatus Pataviuum legit, animadvertere poterit, eum aucto-

24) Horum omnium nonnulla adhuc exstant *fragmenta* a pluribus, in primis etiam ab *Havercampio* collecta; v. ei. Sallust. Amstelaed. 1742. T. II. p. 248 — 404.

res sequi, qui ex primis historiae Romanae fontibus hauserant. Exemplum eiusmodi reperimus L. XXXIX. c. 18. ubi quae de Scto adversus Bacchanalia perscripto exponit, ea ex ipsa illa, cuius nostra adhuc aetate superest fragmentum [25]), tabula aenea breviter descripta esse, quamquam ipse nihil hac de re adiecerit, dubitari vix potest.

§. 5.

At annalium illi scriptores, quos potissimum sequitur Livius, Cicerone teste *exiles* fuerunt, atque unam dicendi laudem putaverunt esse *brevitatem!* [26]) Nonne igitur veri simile est, ea, quae breviter ab illis scripta erant, pluribus ipsum exornasse? Quod autem si ab eo factum sit, qui scias, quid verum esse, quid fictum credas?

Fateor hunc scrupulum eo molestiorem esse, quod ipse Fabius Quinctilianus in historicorum nullo alio tantam, quantam in Livio admiratus est lacteam ubertatem, unde facile aliquis coniiciat, auctorem nostrum in vetustioribus illis annalibus nihil legisse, nisi nomina forsan magistratuum, initia et exitus bellorum aliarumque rerum maxime memorabilium, aut subinde etiam unum alterumve celebre factum paucis verbis narratum, e. c. Horatiorum Curiatiorumque pugnam, Virginiae mortem; omnia autem, in quibus rerum gerendarum aut difficultates aut opportunitates, earumque vicissitudines describit, aut consilia agentium, spem, metum, gaudium, iram, aliosve animi motus, et quae alia ad *descriptionem* rerum gestarum pertinent, eum ex ingenio adiecisse. Sed non est, quod tam facile, quae in Livio sunt iucundissima, ea nobis eripi patiamur. Quamtumvis enim 1) ex Ciceronis quidem mente exiles fuerint et breves isti vetustissimi annales; non tamen sequitur, eos breviores fuisse ipsa Livii antiquissima historia, in qua maximae saepe res paucissi-

25) v. Liv. Drakenb. T. VII. p. 193. 26) Cic. de leg. I. 2. de orat. II. 12.

mis verbis referuntur, totaque primorum 244 annorum historia uno eodemque brevissimo absolvitur libello. Nullus autem dubito, Ciceronem, si ab amicis exoratus ipse historiam Romanam scripsisset, in describenda morte Lucretiae et Virginiae multisve aliis rebus eloquentiae suae ac historicae arti plus loci daturum fuisse, quam Livium concessisse ingenio suo videmus. 2) Satis etiam ex Dionysio patet Halicarnassensi et Plutarcho, qui eosdem et pauciores adeo sequuntur auctores, multo uberiores Livio fuisse illos annales, multaque narrasse, quae partim superflua partim inepta silentio praeteriit noster. 3) Paucissima quidem adhuc supersunt veterum illorum annalium fragmenta, tamque exigua, ut vix, quantum in describendis rebus ab iis discesserit Livius, indicari possit; unum tamen, quod ex Claudii Quadrigarii annalibus servavit A. Gellius [27]), instar omnium est, aperteque ostendit, quanta vel in minimis rebus, quae ad descriptionem rerum pertinent, Livii fuerit verecundia. Huius enim si descriptionem celeberrimae illius Manlii Torquati cum Gallo hoste pugnae (L. VII. c 10), et Quadrigarii illud fragmentum inter se comparaveris, nullam rem ullius momenti aliter ab altero narratam esse animadvertes, quamquam Livius manifesto et alios consuluit auctores. Eodem etiam modo si totum Polybium in describendo bello Punico secundo cum Livio comparamus, in minimis rebus, nisi in iis, quas aperte ex aliis scriptoribus sumere satius duxit noster, consentire eos videmus. 4) Nec etiam ea, quae ab auctore nostro de consiliis senatus populique Romani in rebus gerendis, de variis variorum circa easdem res opinionibus et sententiis narrantur, ab eodem fingi oportuisse, testimonio est, quod ex Sempronio Asellione, qui haud diu post Fannium, Pisonem, Catonem scripsit, fragmentum idem, quem modo dixi, A. Gellius servavit [28]). In eo enim ille „Annales libri, inquit, tantummodo quod factum quoque anno

27) Noct. Att. IX. 13. 28) ib. V. 18.

„gestum sit, id demonstrabant; id est eorum quasi, qui diarium „scribunt. — Nobis non modo satis esse video, quod factum esset id „pronuntiare, sed etiam *quo consilio*, *quaque ratione gesta* essent, „demonstrare. Scribere autem, bellum quo initum consule et quo„modo confectum sit, et quis triumphans introierit, et quae eo in „bello gesta sint, iterare, aut *quae lex rogatiove lata sit*, *nec quibus „consiliis ea gesta sint*, id fabulas pueris est narrare, non historias „scribere". Altioris quidem indagationis est, si quis ex me quaerat, unde Sempronius Asellio illa omnia potuerit discere; et etiamsi habere arbitrer, quod recte respondeam: hanc tamen quaestionem in medio relinquo. Mihi ostendisse satis est, Livio nec in his quidem, quas modo dixi, narrationibus defuisse auctores, nec minorem, quam antiquioris Graecorum, Gallorum, Germanorum aliarumque gentium historiae auctoribus in iisdem rebus tribuamus fidem, et ipsum mereri.

§. 6.

At *orationes* tamen illae, in quibus idem eum Fabius supra quam enarrari possit, eloquentem esse dicit, ab ipso auctore nostro fictae sunt!

Non dicam, si quis eam ob rem in Livio veritatis studium desideret, eodem iure omnibus antiquis historicis fidem esse denegandam; de ceteris enim quid statuendum sit, viderint alii. Neque ullo etiam ego pacto negaverim, orationes, quas apud Livium legimus, ingenio eius et eloquentiae multum debere. Minime tamen et iis adsentior, qui omnia in illis, *argumenta* etiam, (quae in historia magni saepe sunt), ab eo inventa esse crediderunt; id enim, quamquam credi, demonstrari certe non potest. Sunt potius multa, quibus orationes illas *aliquo modo* defendam, quibusque adductus persnasum mihi habeam, Livium in his etiam, uti in multis aliis rebus, singularem quandam praestitisse fidem.

Non sum nescius, multas, quae in *aliis* antiquis historicis leguntur, orationes tam aperte fictas esse, ut, etiamsi eorum auctorum fidem in ceteris omnibus non addubitaverint veteres, stultum propemodum sit, de veritate earum quaerere. Haud dubitanter etiam Cicero permittit historicis, interponere conciones, et quamquam Thucydidis in narrando fidem saepius laudat, de orationibus tamen eius ita loquitur, tanquam ab eo fictas esse non dubitet [29]. Illos tantummodo historicos vituperat, quos verecundiae fines transiisse animadvertit [30]. Neque alias etiam dubitari potest, quin multae orationes, quae omnino verae aut esse aut credi potuissent, ab aliis, quam quibus adscribuntur, sint scriptae [31]. Multa igitur condonavit historicis suis antiquitas, quae nostra aetate, ubi aliae sensim historiae scriptoribus leges sunt impositae, iis ignoscat nemo. Nos enim ab eo, qui historiam scribere adgreditur, iure nostro postulamus, ut *facta*, (aut quae facta esse dicit), ad ipsorum fontium fidem accuratissime exponat, nec tamen aliis ea, nisi *suis ipsius verbis* narret. Quodsi enim ipsa auctorum suorum semper verba referat, non historiam, sed excerpta edidisse eum dicimus; si vero recentioris alicuius scriptoris multum verbis utatur, in plagiariis adeo eum numeramus. Longe autem alias leges observandas esse censemus, ubi quis sermone directo aliquid *dictum* aut scriptum a quoquam esse narrat. In hoc enim, (quamvis parum saepe referat) ne verbum quidem mutari permittimus. Veteres autem et *facta* et *dicta* ad easdem in historiae elaboratione leges retulisse videntur, ut *utraque* pro ingenio tractanda suisque ipsius verbis referenda permiserint scriptori. Ipsi tamen

29) *In* Bruto c. 83. *Thucydides rerum gestarum pronuntiator sincerus fuit — orationes autem, quas interposuit, eas laudare soleo.*

30) De leg. I. 2. *Atius — in orationibus multus et ineptus ad summam impudentiam.*

31) Cic. in Bruto 56. *Sulpicii orationes, quae feruntur, eas post mortem eius P. Canutius scripsisse putatur;* ib. c. 16. *Catonis orationes non minus multae verae sunt.*

meliores historici alias sibi leges praescripsisse videntur. Quemadmodum enim in factis narrandis non iisdem verbis poterant uti, quibus alii, quos sequebantur auctores, iique ingenio et dicendi arte haud forsan insignes, easdem res narraverant: ita quidem in orationibus etiam, nisi exspectationem fallere lectorum vellent, stylum eos mutare atque melius aliquid adferre oportebat. Sed tamen, quo maius in unoquoque erat veritatis studium, eo propius in orationibus quoque suis ad fidem omnia dicere studebat; idque in primis a Livio ita factum esse, non dubito.

Nam 1) certum est, *Livium in iis*, quos secutus est, annalibus iam orationes, colloquia, preces, et alia, quae sermone directo *dicta* aut scripta esse dicerentur, invenisse. Ex Pisonis e. c. annalibus legimus adhuc colloquium quoddam Romuli cum amicis [32]), ex Coelio Antipatro fragmentum orationis alicuius [33]), ex Cn. Gellii annali tertio preces Hersiliae a Romanis ad Tatium regem missae [34]), ex Claudio Quadrigario integram consulum Romanorum ad Pyrrhum epistolam [35]), e Valerio Antiate adeo colloquium quoddam inter Numam et Jovem! quod inepte satis excogitatum Plutarchus ab eo mutuatus est [36]). Nec dubitari potest, quin Avienus ille apud Macrobium in vetustis annalibus scriptum legerit, quo modo Curius, Fabricius, et his antiquiores tergemini Horatii cum suis *fabulati essent aetatis suae verbis usi* [37]). Ciceronis etiam tempore exstabat Appii Coeci oratio quaedam de Pyrrho [38]). Apud Polybium quoque integras conciones legimus, quamquam hic quidem iam non permittit historiarum scriptoribus, in *dictis* a veritate secedere [39]).

32) Apud Gell. in Noct. Att. XI. 14.

33) Festus in *Topper;* Non. in *pedato.*

34) Gell. Noct. Att. XIII. 21.

35) Ib. III. 8.

36) Plut. in Numa c. 15. Arnob. adv. gent. L. V. p. 155. ed. Lugd. B. 1651.

37) Macrob. Sat. I. 5.

38) In Bruto c. 16.

39) Hist. II. 56.

2) Facile etiam animadvertet, qui Plutarchum diligenter cum Livio contulerit, illum ut in expositione rerum gestarum sic in concionibus quoque hunc ita exscripsisse, ut quamvis pro aetatis eius ingenio non verba quidem ipsius sectaretur, sed ipsum Livium quasi emendare non dubitaret, parum tamen ab auctore recederet. Conf. *Plut.* in *Quinct. Flam.* c. 10, 17, 20 cum Livio L. XXXIII. 32 (et Polybii exc. leg. IX.), L. XXXV, 49; XXXIX, 51; eundem in *Aem. Paulo* c. 11, 17, 27, 30, 36, cum Liv. XLIV, 22, 36, XLV, 8, 37-39, 41; et in *Claudio Marc.* c. 10, 26 cum Liv. XXIII. 16. XXVII. 14. Aliis idem occasionibus e Polybio et aliis auctoribus orationes retulit [40]), ut admodum veri simile sit, eum nullas omnino orationes prorsus finxisse.

3) Cum autem, quae a Polybio et Plutarcho interponuntur orationes, eam certe mereantur fidem, ut non omni ex parte ab scriptoribus excogitatae, sed tantummodo pro more ac libertate eorum temporum aut brevius excerptae, aut aliis verbis translatae esse existimentur: nullus dubito, quin et de Livii orationibus idem iudicandum sit. Nescio enim, cur fidem denegemus ipsi, cum e. c. L. II, c. 32, dicit: Menenius *hoc narrasse fertur*, (Dionysius etiam Halic. hanc Menenii fabulam ab omnibus annalium scriptoribus eodem modo expositam esse testatur), aut L. III. c. 67: *ibi in hanc sententiam locutum accipio;* aut L. X. (postquam c. 24. 25. altercationes inter Qu. Fabium et P. Decium exposuit,) c. 26: *sunt, quibus ne haec quidem certamina exponere satis fuerit; adiecerunt et Appii criminationes de Fabio ad populum;* aut L. XXII. 39: sic *adlocutus fertur* [41]).

40) Cf. Plut. in Claud. Marc. c. 17. cum Polyb. VIII. 7.

41) Eodem fere modo Livius XXX. 37: *Hannibal*, ait, *excusata imprudentia de pace multis verbis disseruit* &c. quod ita esse e Polybio etiam discimus L. XV. 19. Nec tamen Livius hanc orationem, in qua lectores nihil novi invenissent, adiiciendam ratus est.

Quo autem modo tractaverit Livius orationes ab aliis historicis traditas, accurate dicere quis possit? Quibus enim usus est vetustioribus scriptis, ea omnia praeter unius Polybii paucos, qui supersunt, libros interierunt. Hic autem in orationibus interponendis parcissimus est, magisque suo ipsius nomine suisque verbis consilia agentium, rerumque rationes et statum exponere consuevit. Quae tamen apud Polybium L. X. 34, 35. XIV. 4. XV. 6—8. 19. XVI. 19. leguntur orationes, easdem apud Livium etiam LXXVII. 17. XXX. 5. 30. 37. 31. invenias, quamquam non iisdem verbis, sed ita potius expositas, ut ad nostrae aetatis morem inter se comparatas valde dissimiles existimes. Nec iudicari licet, Livius utrum in iis ipsum Polybium ante oculos habuerit, an aliud exemplum uterque sit secutus. Eas autem orationes, in quibus longius aliquanto a Polybio discedit noster, quae paucae sunt, [42]) ab aliis eius aetatis scriptoribus, qui Scipionibus non minus familiares fuerunt, quam Polybius, mutuatum esse Livium censeo; omnino enim orationes quoque Scipionis aliorumque exstitere, quae an verae essent, a veteribus iam dubitatum est [43]). Ex ceteris autem vetustioribus Livio annalibus nihil in hoc genere exstat, nisi unum fragmentum idque minusculum, quod tamen, si ex eo, longiores quomodo orationes tractaverit Livius, coniicere liceat, huc adferre operae pretium sit. Cato nimirum in Originibus scripserat. *Igitur dictatorem Carthaginiensium magister equitum* (Maharbal) *monuit, mitte mecum equitatum, die quinti* (sic) *in Capitolium tibi coena cocta erit.* Coelius Antipater iisdem fere verbis: *Si vis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi: die quinti Romae in Capitolium*

42) Sunt praeter eas, de quibus iam dixi, binae tantum, quae apud Polybium L. X. 17 — 19. XI. 26, 27, et apud Livium XXVI, 49. XXVIII, 27 — 29. inter se comparari possunt, nec ipsae tamen in sententiis et argumentis plane diversae.

43) Liv. XXXVIII, 56. *Orationes quoque, si modo ipsorum sunt, quae feruntur, P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se.*

curabo tibi coena sit cocta [44]). Livius autem, cum utriusque auctoris aliorumque etiam annales consuleret, nec ullo modo quis accuratissime reddidisset Maharbalis verba, posset explorare, quid fecit? Ita scribit: *Ut quid hac pugna actum sit scias, die quinto, inquit, victor in Capitolio epulaberis. Sequere; cum equite, ut prius venisse quam venturum sciant, praecedam* [45]). Quidni eum et omnes ceteras orationes eodem modo tractasse existimemus?

Est itaque, ut dixi. Livius cum eiusmodi orationes ab aliis alio stylo expositas legeret: non potuit non et ipse iudicare, quid in iis aut rerum naturae optime conveniret, aut personis maxime esset accommodatum; totaque eius eloquentia in iis nihil aliud effecisse mihi videtur, nisi ut superflue dicta brevius, obscura et tortuosa clarius exponeret, ceterum in verbis tantum ab auctoribus idoneis discederet [46]), quae autem ab aliis inepte ficta essent, ea prorsus vitaret [47]). Etiamsi igitur lubens concedo, omnes quas in Livio legimus orationes ingenio eius et facundiae multum debere: meo tamen iudicio neque *probari* potest, neque adeo *verisimile est*, unam esse,

44) Vtrumque fragmentum v. apud Gellium in Noct. Att. X. 24.

45) L. XXII. 52.

46) Ex Iustini etiam Hist. L. XXXVIII. c. 3. hoc colligi potest. Hic enim de Mithridatis quadam oratione loquens: *Hanc orationem*, ait, *dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem, quam obliquam Pompeius Trogus exposuit, quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod conciones directas, pro sua oratione, operi suo inserendo, historiae modum excesserint.* Trogus igitur id modo in Livio reprehendit, quod orationes nonnullas, quae ab aliis historicis *indirecto* sermone expositae essent, in *directas* mutaverit. Nonne idem, si Livium *argumenta* etiam finxisse animadvertisset, multo magis eum vituperasset? — Ceterum autem convenit in Livium Ciceronis illud, *de Orat.* II, 34: *Eae* (res et sententiae) *vi sua verba parient, quae semper satis ornata mihi videri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur.*

47) Nihil enim tale apud Livium, quale colloquium illud inter Iovem et Numam in Plutarcho. Cum tamen nemo omnibus horis vigilet, ipse etiam Livius L. I, 39, 40, ubi narrat, quid Tanaquil cum Servio marito in secretum abducto locuta sit, auctores suos incaute secutus est.

quam totam ipse finxerit, quippe cum potius multas ab eo non esse fictas, luculenter satis me ostendisse credam.

§. 7.

Obiecerunt Livio *credulitatem* Bellefortius, Ioecherus et alii; idque iure suo fecisse credi possunt, cum 1) nonnulla in historia eius inveniantur, quae ad fabulas reiicienda sunt, 2) nimis multa etiam de prodigiis atque portentis.

Verum est, ex innumeris, quae in omnium Romanorum ore versabantur, antiquis fabulis nonnullas etiam a Livio commemoratas esse. Iste autem eas potissimum non praeteriit silentio, quae publice aliquam invenerant fidem. Nam e. c. notissima illa de Hercule et Evandro fabula, nisi aliquanto prius, certe A. V. C. 448, postquam Romani plus commercii quam antea cum Graecis habere coepissent, eam nacta erat auctoritatem, ut Herculis statua tum in Capitolio posita dedicaretur. Eodem fere tempore fabula etiam de lupa Romuli Remique nutrice, cum A. V. C. 456. infantium conditorum Vrbis sub uberibus lupae simulacra ad ficum Ruminalem ab aedilibus ponerentur, publice quasi est consecrata [48]). Nec minus aliae quotidiano sermone ita erant celebratae, (plures enim apud ipsum Ciceronem, quam in Livio inveniuntur), ut, qui historiam Romanorum scribere vellet, eas silentio praeterire non posset. Quo magis enim historiae scriptor aliquis ad ingenii diligentiaeque laudem adspirare poterat, eo maior omnium lectorum erat exspectatio, quid in primis etiam de his similibusque rebus diceret.

Livius autem A. nusquam indicat, fabulis istis se habere fidem, sed potius iam in praefatione: *Quae ante conditam*, ait, *condendamve Vrbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere*

48) Liv. IX. 44. X. 23.

in animo est. — *Haec et his similia, utcunque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine.* Eandem itaque in hac re iniit viam, quam nec recentissimus apud nos historicus prorsus relinquere possit. Qui enim et nunc historiam Graecorum aut Romanorum scribere voluerit, non potest oraculorum responsa multasque fabulas ita omnes praeterire, ut nullam earum mentionem faciat; neque tamen semper eas ita exponet, quasi opus sit, lectorem monere, ne fide dignas esse credat. Nec etiam vera esset, quam exprimeret auctor, ea antiquitatis imago, si persuaderet lectori, veteres Graecos aut Romanos a superstitione aeque ac nosmet ipsos fuisse immunes.

B. Permultas tamen Livius eiusmodi fabulas praeteriit, quae in aliis annalibus et scriptis expositae erant [49]).

C. Nec etiam in aliis rebus, quae a vetustioribus, quos sequebatur, annalium auctoribus supra modum exaggeratae ipsi videbantur, credulitatem ostendit, sed ubi factum aliquod nimis mirum commemorandum ipsi est, semper fere addere solet: *fertur, dicitur, aiunt*; idque a nemine alio scriptore toties repetitum esse credo.

§. 8.

Haud dissimilis est ratio eorum, quae apud Livium de prodigiis, portentis, haruspicum responsis et similibus leguntur. Primum enim constat, prodigiorum metum ab antiquissimis temporibus ita occupasse Romanorum animos, ut paucissimi fuerint sapientes viri, qui illo nunquam angerentur. Plurima illa prodigia eiusmodi erant, ut de veritate eorum nec adhuc possit dubitari, e. c. aedes sacrae de coelo tactae, classis in coelo species visa, locustae ita ut, unde advenissent, parum constaret, agros complentes. Alia tamen non nisi ex metu ac superstitione hominum orta erant. Quo-

49) Cf. omnia fragmenta historicorum veterum ab Havercampio edita; Varronem, A. Gellium, Macrobium, Festum et alios.

tiescunque autem ab idoneis auctoribus nunciabantur: ipse Senatus ea (prudentissime quidem) publice suscipiebat, utque rite expiarentur summa cura providebat [50]). Haec superstitio diu etiam post Livii tempora, quamquam publica sensim auctoritate destituta, ut Suetonius, Dio Cassius aliique testantur, Romanorum mentes implevit. Quid mirum itaque, cum omnes ante Livium annalium scriptores prodigia, somnia, auguria, haruspicum responsa retulissent [51]), si et ipse ea praeterire dubitaret? *Ceterum et mihi*, inquit, *vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus, et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quae in meos annales referam* [52]). Eo minus autem in hac re vituperandus esse videtur Livius, cum inter summos eo tempore viros, quid de prodigiorum veritate statuendum esset, minime conveniret, ut vel ex eo conspicitur, quod ipse Cicero operae pretium esse duxit, in libris suis de divinatione multa in utramque partem de eiusmodi quaestionibus disputare. In primis etiam Stoici praeter Panaetium omnes vera esse haruſpicum auspicia, oracula, somnia, vaticinationes contenderunt [53]). Recte igitur Livius fecit, cum has res philosophorum

50) Cum lapidibus pluisse nuntiatum esset, semper novemdiale sacrum institutum est; vid. e. c. Liv. XXI, 62. — A. V. C. 566. huic sacro *addita et unum diem supplicatio est ex decreto pontificum, quod etiam aedes Opis in Capitolio eodem tempore de coelo tacta erat*, Liv. XXXIX, 22. — A. 583. ob eiusmodi prodigia decretum est, ut *cuncti magistratus* circa omnia pulvinaria sacrificarent, *populusque coronatus esset*, Liv. XLIII, 13. — A. 571. consules adeo edixerunt, ut *per totam Italiam triduum supplicatio et feriae* essent. Liv. XL, 19. — Quanti autem Ciceronis adhuc tempore in ipso senatu fuerit prodigiorum religio, ex Orat. ei. in Catil. III. 8. satis perspicitur.

51) Cic. de divin. I. 26. *Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius* — Nihilo tamen minus eodem teste Cato iam questus erat, multa auguria, multa auspicia negligentia collegii amissa plane et deserta esse.

52) L. XLIII. 13.

53) Cic. Acad. quaest. IV 33. — Eodem teste Sisenna, (historicus) somniis credi non oportere statuit,

et physicorum scholis examinandas relinqueret, suum autem esse putaret, ea referre, quae de iis publice suscepta et annalium memoria essent servata. Quid tamen et ipse de plurimis eiusmodi rebus sentiret, aperte satis indicavit [54]). Minime igitur dubium est, quin non minus ac Cicero contemserit illum Navii cotem [55]), quanquam in historia Romanis lectoribus scripta eum silentio non praetereundum censuisset.

§. 9.

Illi autem scriptores, quibus aut tota antiquissima Romanorum historia, aut unius Livii fides suspecta est, aliud adhuc idque gravius adferunt argumentum, quo credulitatem et negligentiam eius in indagando vero ostendant. Dicunt enim, antiquissimam eam historiam praecipue tantum ex privatis Romanarum gentium commentariis a Fabio ceterisque annalium scriptoribus esse collectam, saepeque etiam sola laudationum funebrium fide niti; Livium autem, quam parum his credi debeat, non quaesivisse.

Ipse quidem Cicero his *laudationibus* historiam rerum Romanarum mendosiorem factam esse testatur, multaque in *iis* scripta esse, quae facta *non* sint, falsos triumphos, plures consulatus, rel. [56]). Sed recte iam Beckius noster, Vir illustris, ad hunc locum monuit, non confundendas esse has laudationes funebres cum commentariis familiarum, neque per cuiusvis familiae aliarumque gen-

idem tamen contra ostenta nihil disputavit, v. de div. I. 44. — Ti. etiam Gracchus, qui bis consul et augur fuit, idemque et summus augur et vir sapiens, duobus anguibus domi comprehensis haruspices convocavit; ib. c. 18.

54) E. c. L. XXIV. 10. Prodigia eo anno multa nunciata sunt, quae quo magis *credebant simplices ac religiosi homines*, eo plura nunciabantur; ib. c. 44. et alia *ludibria oculorum auriumque* credita pro veris; L. XXVII. c. 25. Cumis (adeo minimis etiam rebus prava religio inserit Deos) mures in aede Jovis aurum rosisse nuntiatum erat.

55) Cic. de div. II. 38.

56) Idem in Bruto c. 16.

tium rationes fieri potuisse, ut omnia in iis confingerentur [57]). Ego quoque quemlibet oratorem, qui in funere nobilis alicuius more consueto laudes defuncti atque maiorum eius plebi narrabat, intelligo multa potuisse mentiri, nulloque contradicente summos iis honores maximasque res gestas falso tribuere; neque etiam a multis hoc factum esse dubito. Fieri tamen non potuit, ut *historia* Romanorum his laudationibus *valde* corrumperetur; facile enim intelligitur, mendacia illa in scriptos *annales*, qui non a plebe sed a summis in re publica viris legebantur, non ita potuisse transire, ut nemo animadverteret, nemo obloqueretur. Vnus quidem omnino Fabius Pictor, cum historiam Romanam primus colligeret, multa ex suae gentis commentariis et laudationibus potuisset falso narrare. Sed eodem fere tempore cum etiam Cato Origines suas, Cincius annales scriberet, hique duo antiquitatis historiam accuratius fortasse ipso Fabio haberent cognitam: nonne contradixissent, si nimium ille res gestas maiorum suorum, aut aliarum etiam, quibus faveret, gentium exornasset? Idque eos, si forte in aliqua re lapsus fuerit, non intermisisse, eo certius credi potest, quo minus ipsius Porciae aut Cinciae gentis in antiquissima patriae historia ullae commemorari poterant laudes, et quo magis constat, in Catonem, quem summo iure virum promtioris ad vituperandum linguae vocat Livius [58]), nullam omnino cadere aut timiditatis aut adsentationis suspicionem. Quae qui recte ponderat, mirari non potest, inter summas Fabiorum in antiquissima historia laudes summa etiam eorum dedecora sempiternae memoriae esse mandata [59]), ipsumque Fabium Pictorem id impedire aut non

57) In programmate supra iam laudato.

58) Epit. XLIX.

59) v. Liv. III. 41. ubi Decemviri Fabii *minus in bono constans, quam gnavum in militia* ingenium fuisse, traditur; L. V. 35—37, ubi trium M. Fabii Ambusti filiorum *multiplici culpa* Romam a Gallis captam esse legimus; Epit. XI. Quum Fabius Gurges consul male adversus Samnites pugnasset, et senatus *de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater deprecatus hanc filii ignominiam eo maxime senatum movit* rel.

potuisse aut (vix enim est, quod dubitemus) ne voluisse quidem. Neque post Fabium ab aliis valde corrumpi potuit historia Romana, nam Calpurniae etiam, Gelliae, Fanniae aliarumque familiarum, ex quibus celeberrimi post Fabium rerum Romanarum scriptores prodierunt, in antiquissima historia nullae sunt laudes; Cassiae et Claudiae contra, ex quibus Cassius Hemina, Claudiusque Quadrigarius annalium scriptores orti sunt, haud levia etiam (ut Fabiorum) narrantur dedecora; quae omnia, si scriptoribus istis tam facilis fallendi aut occasio fuisset aut prava cupido, nunc certe aliter exposita legerentur. Recte *igitur Livius*, multoque Bellefortio aliisque antiquissimae Rom. historiae adversariis consideratius iudicavit, cum non eam ipsam ob caussam, quod a viris nobilissimis conscriptae essent res Romanae, his omnem fidem denegandam esse censeret. Idem tamen, ubi levissima erroris alicuius aut fraudis ex laudationibus funebribus ortae vestigia reperiri suspicatur, lectorem monere non omittit [60].

§. 10.

Vix opus esse mihi videtur, Ioecherum aut Bellefortium ut *multis verbis refellam*, cum auctorem nostrum in gratiam populi Romani arguunt discessisse a vero; ea enim quae adferunt, leviora sunt, quam ut praeterire mihi non liceat; totumque hoc argumentum non attingerem, nisi potius in eo ipso *singularis* quaedam auctoris fides, et incredibile veritatis studium cerneretur.

Verum quidem est, apud Livium non minus quam apud ceteros scriptores totam historiam Romanam plenam esse victoriis atque triumphis, ut mirari aliquis possit, quid rei fuerit, cur finitimi populi non desierint tandem pugnare cum Romanis. Num autem ullo

60) Exempla vide L. IV. 16. — *refellit falsum imaginis titulum.* VIII. 9. *quaesita ea propriae familiae laus leviorem auctorem Lic[illegible]um facit.* VIII. 40. *vitiatam memoriam funebribus laudibus reor* rel.

modo dubitari potest, quin verè paullatim tota Italia, Macedonia, Graecia et deinceps fere omnia sint subacta? Num paucis id proeliis factum esse credere quis potest? Num victorias istas sine eximia illa, quam testatur historia Romana, virtute bellica, arte domestica, singulorum virorum animi ingeniique magnitudine paratas esse veri simile est? Livium autem, si cogitasset: semper Fabius ille, et Cincius, Piso, omnesque ceteri de Romanis suis, nil nisi fortia facta, nil nisi triumphos! fallunt! fidem non habebo! clades et ignominiosa omnia ipse potius fingam! num recte quis facturum fuisse censeat? Quid autem fecit?

Satis iam ob oculos posui, quanto veritatis studio clarissimarum apud Romanos gentium multa memoriae tradiderit dedecora. In unum tantummodo, ne multus nimium sim, lectores adhuc velim animum advertant eiusmodi exemplum, quod libro XXXIX. c. 42. 43 ab auctore expositum est, ubi ferventibus adhuc multorum Gallorum in Romanos odiis L. Quinctii Flaminii consularis per impotentiam libidinemque in eos quondam admissa flagitia ita narrat, ut si Boius auctor rem exposuisset, acerbius simulque tamen verius non potuerit. Eundem autem Livium in a n t i q u i s s i m a *historia* bellicam Romanorum laudem auxisse, singulas Volscorum, Hetruscorum aut Veientium adeo et Ardeatium clades finxisse, ut Postumio forsan cuidam aut Menenio gloriolam pararet, suspicantur? Imo potius, ubi mininam quidem inter auctores animadvertit dissensionem, semper etiam eam narrationem adiicit, quae minimum Romanis tribuit. L. VIII. 30 eos poterat antiquissimos sequi auctores, qui viginti millia Samnitium A. V. C. 430 caesa esse narraverant, addit tamen, in quibusdam annalibus *totam rem praetermissam esse.* L. IX. c. 15. habebat auctores, quibus testibus Pontium Herennii filium, qui post cladem Caudinam sub iugum miserat Romanos A. V. C. 434, eandem cum reliquo Samnitium exercitu ignominiam

tulisse, narrare poterat; sed ingenue fatetur, se in quibusdam tantum annalibus id invenisse [61]).

Quod autem magis mirandum est, *nunquam fere* bella Romanorum cum finitimis iusta vocat Livius. Narrat! iure an iniuria inita sint, lectoris iudicio relinquit. Saepe tamen exponit etiam, quid pro utraque parte dici possit, ita autem, ut hostium caussae nihil detrahat, Romanorum nihil largiatur. Quicunque inter lectores insigni veritatis studio maxime delectatur, legat denuo L. IX. c. 1. orationem Pontii illius Herennii filii ante initum Samniticum bellum, eiusdemque orationem post sponsionem Caudinam fraudulenter a Romanis ruptam; legat etiam L. XXI. c. 1. ubi caussas secundi Punici belli exponit auctor. Ipse quidem Polybius L. III. c. 6 - 31. omni opere nititur probare, Romanis iustam caussam belli huius indicendi fuisse, idque in Graeco scriptore laudandum videtur; maior tamen apparet Romanus auctor, qui breviter: *Odiis*, inquit, *prope maioribus certarunt, quam viribus; Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma, Poenis, quod superbe avareque crederent imperitatum victis esse. — Angebant ingentis spiritus virum* (Hannibalem) *Sicilia Sardiniaque amissae, nam et Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam*, et *Sardiniam inter motum Africae fraude Romanorum, stipendio insuper imposito interceptam.* Legat denique in primis, quae ab auctore nostro de morte Hannibalis L. XXXIX. c. 51. tradita sunt. Hannibalis enim, exulis, senis, omnibus tandem opibus fractis ad Prusiam Bithyniae regem (sive regulum potius) profugi tanta apud Romanos manserat aut invidia aut formido, ut T. Quinctius Flamininus, idem ille, qui Philippum regem ad Cynoscephalas debellaverat, Romanorum ad Prusiam legatus non desisteret a rege, ut traderet hospitem aut necaret, flagitare. Non cessavit rex. Hannibal venenum popo-

61) Similia exempla v. L. IX. 44. X. 30.

scit et: *Liberemus*, inquit, *diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis exspectare longum censent. Nec magnam, nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret. Mores quidem populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a veneno caveret, praedixerunt. Hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiae per scelus occidendi hospitis miserunt!* Execratus deinde *rel.* Et quis est, qui ita memoriae haec tradidit? Non Iuba, Mauritaniae rex, qui Augusto Tiberioque regnantibus et ipse de rebus Romanis scripsit. Livius est, qui primus illa morientis Hannibalis dicta, quibus nihil verius, eandemque ob causam, (quippe cum exaggeratum esse non posset simulari), nihil etiam acerbius excogitari potuit, ex Graeco aliquo, ut videtur, scriptore [62]) Romanis suis lectoribus proposuit; Plutarchus enim eum solum rem ita narrasse, orationemque illam adiecisse testatur [63]).

Adposui haec, ut eo facilius intelligeret quisque, quanto Seneca iure scriptorem nostrum *candidissimum omnium magnorum ingeniorum* dixerit *aestimatorem* [64]).

§. 11.

Magna sunt, quae de Livio hactenus praedicare mihi licuit. Habeo maiora. Nihil enim difficilius esse poterat, quam Augusti tempore *civilis belli*, totiusque recentioris temporis historiam enarrare. Probe quidem intelligebant prudentissimi omnes, non tum

62) Fortasse e Sileno et Sosilo, qui cum Hannibale vixerunt, et res gestas eius memoriae tradiderunt. Corn. N. in Hannib. c. 13.

63) In Quinct. Flaminino c. 20.

64) Suas. VI. „Quoties magni alicuius mors ab historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitae, et quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atque iterum a Thucydide factum — Livius benignius *omnibus magnis viris* praestitit. — Vt est natura candidissimus omnium magnorum ingeniorum aestimator Livius, plenissimum testimonium Ciceroni reddidit."

demum interiisse pristinam libertatem, cum solus Caesar rerum potitus esset, sed iam eo tempore, quo tres summi in republica viri plus legibus coeperant valere. Facile quoque perspiciebat quisque, Augusto nihil magis esse curae cordique, quam ut laceratae funesto bello, funestioribusque vitiis reipublicae vulnera morbosque sanaret; et paucis forsan id ita intellectum fuit, ac Livio. Hic enim iam in praefatione aliisque locis nihil magis queritur, quam luxuriam, libidinemque pereundi perdendique omnia ita imperitare in Romanos, ut nec vitia sua, nec remedia possint pati; et nisi omnia me fallunt, eadem pudoris plena sui temporis recordatio, et subtriste aliquod priscae virtutis desiderium in toto conspicitur opere. Talem autem virum facillime ad ipsius Augusti amicitiam pervenisse, non est quod miremur; neque dubito, quin vere hunc amaverit Livius. Sed eo difficilius ipsi erat, recentibus adhuc oppressae partis in dominantes odiis, novissimas res eodem, quo antiquiora omnia, veritatis studio enarrare. Is enim, qui nec Hannibali aut Perseo, nec priscis adeo Samnitibus quidquam detraxerat, num idem Pompeio, Catoni, Cassio, Bruto aliisque victae partis ducibus iustam, quae hominibus debebatur, poterat denegare laudem? num virtutes eorum multaque egregia facta tacere? Plena autem omnino erat periculi res. Ipsum enim Augustum etsi sperare poterat Livius, quo quidque animo scriptum esset, facile intellecturum: non tamen ab omnibus aliis idem poterat exspectari. Quam periculosum autem fuerit, novissimae aetatis historiam vere enarrare, vel ex eo conspici potest, quod ipse Ti. Claudius Drusus, Augusti nepos, qui hortante Livio adolescens historiam scribere adgressus erat, initiumque post caedem Caesaris sumserat, postea satius duxit, ad inferiora tempora transire, atque a pace civili coepisse, quum sentiret, *neque libere, neque vere de superioribus tradendi potestatem relictam*, correptus saepe et a matre (Antonia, M. Antonii filia) et ab avia (vel materna, Octavia, Antonii uxore, vel etiam paterna Li-

via) [65]). Hinc et Tacitus queritur, *post pugnam apud Actium magna illa ingenia cessisse*, quae antea pari eloquentia ac libertate res populi Romani retulissent, veritatemque simul *libidine adsentandi, aut rursus odio adversus dominantes*, pluribusque modis *esse infractam* [66]). Quam multa autem in Livii historiis fuerint, quae Augustum, nisi animi magnitudine adulatores superasset, facile potuissent offendere, iam ex eo intelligitur, quod de *Caesare* scripserat auctor, *in incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicae profuerit, an non nasci* [67]); quodque vel in Epit. L. CXIV. narrat, P. Scipionem post *Catonis* obitum in nave circumventum *honestae morti* vocem quoque addidisse; quaerentibus enim imperatorem hostibus dixisse: *Imperator bene se habet!* Ipse etiam *Cicero*, quamquam nec Caesari nec Augusto exstiterat hostis, non admodum videbatur esse laudandus; Augustus enim Antonio condonaverat eum! Livius autem nihilo minus plenissimum ei reddidit testimonium. Sic quoque Cremutius Cordus: *Cneium Pompeium*, ait, *tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret, neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula iis imponuntur, saepe ut insignes viros nominat* [68]). Multae etiam apud Livium orationes cum eiusmodi essent, ut Domitianus imperator Metium Pomposianum, quod eas circumtulisset, interimeret [69]): eaedem certe nec Augusto potuerant esse gratissimae. Facilius tamen ignoscitur ei, qui non ideo verum dicit, ut lacessat aut laedat, sed quia aequitatem iustitiamque ita amat, veritatisque studium ita ipsi insitum est atque innatum, ut (quod facile omnes intelligunt,) etiamsi velit, non aliter possit. Vnde et Augustus sanctissimam illam Livii fidem atque integritatem non tantum aequo tulit animo, sed ita etiam

65) Suet. in Claudio c. 41.
66) Tac. hist. I. 1.
67) Sen. nat. quaest. c. 18.
68) Tac. ann. IV. 34.
69) Suet. in Domit. c. 10.

adamavit, ut Claudium nepotem huius traderet disciplinae. Quanta autem apud aequales omnes tanti viri fuerit admiratio, ex eo etiam potest colligi, quod Gaditanus quidam, eius nomine gloriaque commotus ad visendum eum, ab ultimo terrarum orbe venit, statimque ut viderat, abiit [70]). Verisimile autem non est, venisse, ut videret facundum hominem, sed eum potius virum, qui non tantum Romanorum multa egregia facta iusta prosecutus esset laude, sed Hannibali etiam (ut iam dixi) et Sertorio, Lusitanis, Numantinis, victisque tot iam dudum populis, quod aequum iustumque esset, eadem fide atque diligentia appendisset. Non dubito etiam, quin eadem auctoris nostri veritate, cuius multo maior omnibus eloquentiae lenociniis est vis atque amoenitas, Plinius iunior ita semper delectatus sit, ut medium aliquando inter terrae motum, ardente haud procul Vesuvio, posceret *librum Titi Livii, et ut coeperat, excerpere pergeret* [71]).

Quod autem reliquum est, infra etiam §. 16. aliud exemplum addam, ex quo, quam parum Livius adduci potuerit, ut in historia temere adsentiretur Augusto, satis apparebit.

§. 12.

Non licuisset Livio, sui temporis historiam tali modo perscribere, nisi iam in toto antea opere ostendisset, nihil in scribendo se quaerere, nisi ipsam historiae veritatem, non gratiam atque delectationem alicuius in republica partis, multo minus dissimulati in alteram partem ambiguis verbis odii effundendi occasionem. Idque in eo satis aperte ob oculos posuit, quod ab initio operis usque ad finem (quantum ex iis, quae supersunt, de iis, quae interierunt iudicari potest) *ne in minimis quidem rebus* aliquid narrare ausus est, cuius non idoneos haberet testes.

70) Plin. epist. II. 3. 71) ib. VI. 3.

Ceteri plerique historici, ubi res aliqua ab aliis aliter auctoribus est exposita, satis et sibi et lectori se consuluisse putant, si quae maxime verisimilia ipsis esse videntur, ea sola tradunt, ne refutandis aliorum opinionibus lectori molestiam adferant. Gratum id quidem nonnullis; gratius tamen ei, qui in legendo non quovis modo delectari, sed et ipse de veritate rerum iudicare cupit, si historiae scriptor omnes omnium auctorum alicuius rei expositiones cum lectoribus communicat. Id autem Livio per totum opus ita usitatum est, ut iam Quinctilianus frequentes eius dubitationes commemoret [72]), Parreidtius aegre ferat, et nescio quo pacto vituperet. Me tamen non pigebit, quanta in eo Livii fuerit cura, *pluribus* ostendisse.

1) Saepe quidem in variis auctorum opinionibus ex ipsa rei natura aliisque rationibus recte colligitur, quid simillimum sit veri; unde Livius etiam interdum non dubitat, suum iudicium exponere, sed ita semper, ut *quid suum sit*, *quid auctorum*, diserte distinguat. Vide enim quam caute iudicet: L. I. 8. de numero primorum lictorum; c. 9. de genere atque parentibus Servii regis; L. II. 14. de formulae in bonis vendendis sollemnis „bona Porsenae venduntur" origine; c. 41. de mortis genere Sp. Cassii consulis; L. III. 70. de caussa denegati T. Quinctio post victoriam de Volscis triumphi; L. IV. 29, de A. Postumii, quam nonnulli narraverant scriptores, in filium saevitia; c. 34. de classe, quam apud Fidenas quidam auctores in Tiberi pugnasse scripserant; c. 61. de Artenae, priscae urbis, situ; L. VI. 38. de caussa, quae Camillum dictatura se abdicare impulerit, L. VII. 27. de captivorum nonnullorum numero ac statu; L. X. 5. cur non Q. Fabium A. V. C. 451. sed M. Aemilium Mag. Equ. fuisse veri simile sit. Ex omnibus his multisque aliis locis perspicue intelligitur, quam verecunde in mi-

72) Instit. orat. II, 4: *nonnunquam de persona quoque, ut Livius saepissime, dubitat.*

nimis etiam rebus indicio Livius indulserit suo, quod exemplum utinam omnes historici essent secuti.

2) Multa sunt in antiqua omni historia, in quibus aequalia, si exstant, monumenta, aut illa ubi desunt, *proximi* istis temporibus *scriptores* sine dubio omnibus inferioris aetatis historicis sunt praeferendi. Hinc etiam Livius, ut supra (§. 3. sq.) satis iam demonstratum est, Fabium, Cincium, Pisonem aliosque vetustissimos scriptores prae ceteris consuluit, neminem tamen eorum ita secutus, ut non et reliquos omnes audiendos esse crederet, quippe cum omnino potuisset fieri, ut posteriores etiam nonnulli scriptores certius aliquid ex vetustis monumentis attulissent. Accuratissime igitur multis locis exponit, quid *vetustiores* narraverint annales, quid *ceteri*; e. c. L. I. 44. 55. II. 8. 18. 40. III. 23. [73]). IV. 7. [74]) 34. VIII. 30. X. 9. [75]) 37. Tanta autem auctorum suorum quemque speculatur diligentia ac propemodum suspicione, ut e. c. L. XXI. 38. ubi de copiarum Hannibalis in Italiam transgressi magnitudine inquirit, ne Cincio quidem Alimento temere credat, quamquam ille quidem ex ipso Hannibale, quot habuerit milites, audivisset.

3) Eadem Livius diligentia aliis locis, quid *plurimi* auctores tradiderint, quid *pauci*, aut *unus* tantum, exponit; in quo saepissime etiam Valerii Antiatis in narrando levitatem et audaciam reprehendit. Dicit enim e. c. L. I. 4. *Sunt, qui putent* —; c. 7. *vulgatior fama est;* c. 11. *additur fabulae — sunt, qui* —; c. 46.

73) Vbi de magna scilicet quaestione inquirit Livius, an Antiates (quos toties caesos tandem a Romanis subactos esse dubitari non poterat) ipso etiam anno 295 post V. C. acie fuerint victi. *Certum*, inquit, *adfirmare, quia nulla apud vetustiores scriptores eius rei mentio est*, *non ausim*.

74) „Consules — qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inveniuntur. Credo quod —. Licinius Macer auctor est, et *in foedere Ardeatino*, et in linteis libris ad Monetae inventa (nomina).“

75) Eo jucundior est h. l. Livii sollertia, qua, cur Q. Fabium Max. A. V. C. 455 non credat fuisse aedilem, exponit, cum nihil tandem sit, quod de aedilibus eius anni potuerit narrare.

pluribus tamen auctoribus filium crediderim; III. 5. „Difficile ad „fidem est, in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, *exacto* „adfirmare *numero; audet tamen Antias Valerius* concipere summas“; c. 8. *in quibusdam annalibus* invenio; IX. 38. *Macer Licinius* tertia etiam clade abominandam eam curiam fecit. — Eandem ab auctore sedulitatem atque curam etiam L. VI. 20. IX. 37. 42. 46. et in toto ubique opere, qui attentius omnia perlegerit, adhibitam esse animadvertet.

4) Saepe tamen etiam, ubi rem aliquam in annalibus aut silentio praeteritam, aut inter scriptores auctoritate numerove pares non convenire videt, anxius propemodum *haerens* neque alteram alteri ullo modo praeferre audet narrationem, neque coniecturis rem expedire. *Queritur* potius, nihil certi constare; atque ista animi inquies non modo in quaestionibus maioris momenti, sed saepe in minimis etiam rebus eum angit. Exemplo sunt: L. II. c. 17. ubi narrat, alterum in aliquo proelio consulem vulnere ex equo deiectum, *sed utrum*, ait, *nomen auctores non adiiciunt;* ib. c. 18 et 21. ubi de primo dictatore agitur: *tanti*, inquit, *errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus*, ut *nec quid quoque anno actum sit*, *in tanta vetustate non rerum modo sed etiam auctorum, digerere possis;* [76]) L. III. 26. L. Quinctius ab legatis *seu fossam fodiens*, palae innixus, *seu cum araret*, operi certe, *id quod constat*, agresti intentus *rel.;* L. IV 13. seu — seu — *nihil enim constat;*

76) Vere etiam in tota illius temporis ab expulso Tarquinio usque ad subactos apud Regillum lacum (A. V. C. aut 253 aut 258) historia, nescio quo fato, multa sunt incerta, manca et obscura, id quod non modo ex his Livii querelis, sed ex fabulosis etiam (e. c. de Mucio Scaevola) narrationibus, quibus locum dederat ista historiae lacuna, facile perspicitur. An vero Livii adversarii recte concludant hinc sequi, *totam* antiquissimam Rom. historiam incertam esse, valde dubito. Ego potius, ut apud Terentium ille: erubescit! salva res est! et hic (similibusque in locis) cogitem: fatetur! reliqua salva res est!

c. 23. *sed inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum* [77]); L. VII. 6. ubi, lacus Curtius unde acceperit nomen, incertus haeret noster, et: *cura*, inquit, *non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret. Nunc fama* [78]) *rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem*; L. X. 6. Quemadmodum — potuerit, *non invenio*; c. 11. Eo anno, *nec traditur caussa*, interregnum initum; c. 46. Aedem Quirini, quam in ipsa dimicatione votam *apud neminem veterem auctorem invenio*, dedicavit.

Non opus est, pluribus ostendam, Livium nec in minimis quidem rebus aliquid narrare, quod idoneorum scriptorum non invenerit munitum auctoritate [79]). Vnde quoque non miror, de totis pluribus annis eum nihil habere, nisi magistratuum nomina [80]). Id autem simul indicio est, historiam antiquissimam Romanorum commentariis nobilium gentium atque laudationibus non magis certe esse vitiatam, quam de aliorum fere omnium populorum historia id suspicari licet. Hos enim annos, quorum in annalibus nulla fere erat mentio, Porcii, Gellii aliique scriptores, quorum maiores in antiquissima historia omni adhuc carebant laude, victoriis aliisve egregiis factis certe exornassent, si aut voluissent, aut per alios historiae satis peritos id ipsis licuisset.

77) Vtrum scilicet A. V. C. 321, (quo anno nihil memorabile actum est) Iulius et Virginius consulatum gesserint, an Manlius et Sulpicius.

78) Adjiciendum h. l. mihi videtur, Livium, ubi de *fama* antiquarum rerum loquitur, non respicere ad traditiones ore propagatas, sed ad varias *historicorum* opiniones. Nam hoc etiam loco, ut ex Varrone intelligitur (de Lat. L. IV. p. 36. edit. Dordr. 1619) triplex illa veterum auctorum ejusdem rei expositio ita eum incertum reddit, ut quamquam L. I. 13., Pisonem secutus, suam ipsius opinionem jam enuntiasset, nunc tamen religioni sibi ducat, fabulam, de qua ipse dubitat, (dicit enim, *ferunt*,) silentio praeterire.

79) Id etiam praeter alia, quae §. 6. iam attuli, argumenta praecipue semper me impedivit, quo minus persuadere mihi possem, eundem Livium totas aliis adscripsisse, quas ipse excogitasset, orationes.

80) E. c. L. II. 19. III. 31. IV. 12. 47. VII. 2. ubi saepe legitur: *nihil dignum memoria actum.*

5) Vnum hoc tantummodo addam, Livium saepe, ubi de veritate ipsarum rerum incerti nihil erat, de *nominibus* tamen agentium, de *locis* etiam et *temporibus* dubitare, lectoremque eadem fide ea de re monere. Exempla invenias L. IV. 56. VII. 18. VIII. 38. ubi, quis quoque anno Consul, Dictator, Mag. Equ. fuerit, dubitatur; IX. 28, ubi, utrum Poetelius an Iunius Nolam ceperit, haeret; *nam utrumque*, ait, *traditur;* c. 36. ubi inquirit, quis inter nobiliores id temporis iuvenes primus saltum Ciminium speculandi caussa intrare sit ausus, utrum M. Fabius, an C. Claudius. Haud raro etiam in ipsis *praenominibus cognominibusque* non minus laborat; e. c. L. VII. 22. quidam *Kaesonem* alii *Caium* nomen Quinctio adiiciunt; IV. 21. Servilium, cui *Prisco*, alii *Structo* fuisse *cognomen* additur; c. 26. T. Quinctius *Cincinnatus*, eidem et *Penno* cognomen additur.

§. 15.

Satis me iam exposuisse credo, quantum Livius ostenderit in toto opere, praecipue etiam in antiquissima Rom. historia veritatis studium, quantam in minimis quoque rebus diligentiam et curam. Nihil superest, nisi ut ingenue fatear, meo quidem illum iudicio, si in aliqua re vituperandus sit, in eo potius esse reprehendendum, quod in antiquissima historia *nimis anxie* vestigia presserit auctorum suorum. Iudicavit enim, ut ex tot exemplis, quae hactenus attuli, facillime intelligitur, non licere historico, quas veterum auctorum narrationes aut ex ipsa rerum expositarum indole et natura, aut certioribus aliorum monumentorum testimoniis *refellere* non posset, eas (*sibi* quamvis vel maxime suspectas) omnes omnino praeterire, aut veras esse prorsus negare. Exemplo in primis est, quam modo commemoravi, fabula de Curtio lacu. Eodem modo et aliae eiusmodi narrationes, de quibus in altera huius opusculi parte aliquanto uberius disserendum nobis erit, a Livio sunt receptae.

Multo tamen gratissimum esse debet omnibus iis, qui historiam Romanam amant, Livium hanc ita exposuisse, ut plurimis in locis quid Fabius, quid Cato et Cincius ceterique omnes ante eum annalium scriptores de quaque re narraverint, ex eius unius opere adhuc possimus colligere, multorumque veterum monumentorum iactura aliquanto nobis sit minus acerba.

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA
DE
FIDE LIVII RECTE AESTIMANDA
SECTIO II

QVA

AD AVDIENDAM ORATIONEM

MVNERIS PROFESSORIS LITERARVM HISTORIAE STVDIVM ADIVVANTIVM

ADEVNDI CAVSSA

DIE XXIX. AVG. MDCCCXII. H. IX.

IN

AVDITORIO PHILOSOPHORVM HABENDAM


OBSERVANTISSIME INVITAT

CHRISTIANVS KRVSE

CONSILIARIVS AVL. HOLSAT. OLDENB. PROFESSOR LITT. HIST. STVDIVM ADIVV. PVBL. ORD. DES.

LIPSIAE

TYPIS VOGELIANIS



SECTIO II.

NON TAMEN OMNIA, QVAE LIVIVS DE ANTIQVISSIMIS ROMANORVM REBVS NARRAT, PRO CERTIS HABERI POSSVNT. QVOD QVOMODO CVM SVMMA CETEROQVIN EIVS FIDE ET DILIGENTIA CONSTET, EXAMINATVR.

§. 14.

Animi integritate summaque in maximis minimisque rebus veri indagandi cura Livium nemini cedere, multos, si non omnes superare, in priori huius opusculi parte satis me ostendisse arbitror. Cum autem fides auctoris alicuius, quatenus *fidem* sive veritatem *rerum* ab eo *traditarum* denotat, minus interdum ex veritatis studio, quod in eo nobis perspectum est, quam ex auctoritate eorum, quos secutus est, testium pendeat; paucis adhuc examinandum nobis est, an omnibus, quae Livius, praecipue etiam de antiquissima Romanorum historia memoriae tradidit, eadem fides sit habenda. Admodum autem difficile est, in historia ubique quid verum certumque aut verisimile tantum, aut minus verisimile, aut denique falsum sit, accurate distinguere, diserteque adfirmare. Tot enim inter certum et falsum verisimilitudinis sunt modi et gradus, ut in recentissima etiam historia, iisque ipsis in rebus, quas nostra aetate oculis auribusque percepimus, unaquaeque res alio ab aliis gradu sit magis minusve certa. Praecipue autem in hac quaestione distinguendum est inter magnas illas res gestas, magnosque eventus, qui ipsam *historiam* temporis nostri efficiunt, et *narratiunculas* (sive historiolas) de minoribus omnibus rebus, quae cum illis coniunctae fuerunt, in historia autem ad illustranda atque explicanda maiora illa adiiciuntur. Vbi enim de maximis illis rerum mutationi-

bus, quas nostra aetas vidit, ne minima quidem dubitatio esse cuiquam potest; ibi tamen, quae de singulis celebrium virorum consiliis, ausis et casibus cum admiratione leguntur, ea, quamquam ab auctoribus bonae notae exposita ad fabulas non reiicimus, tamen non eodem modo certa esse censemus. Nec summa etiam maximeque coniuncta recentiorum historicorum diligentia has narratiunculas ad eundum omnes veritatis gradum sciscitando et examinando evehi posse credo. Multo autem minus post longius aliquando temporis intervallum unius, qui omnium testium effata colligere voluerit, scriptoris diligentia hoc fieri poterit.

His praemissis facilius etiam de veritate earum rerum, quae a Livio nobis sunt traditae, iudicari posse arbitror. Primum enim et hic distingui debet ipsa Romanorum *historia* a *narratiunculis*, quibus pro vario tot auctorum aetatumque ingenio aucta est. Hae versantur in exponendis singulis singulorum hominum privatis rebus, casibus et factis, aut in rebus ab antiquis nimis breviter narratis, deinceps in miracula versis, atque aliter ab aliis scriptoribus exornatis; quibus omnibus aut plane omissis aut ad fabulas reiectis nihil tamen immutatur ipsa Romanorum *historia*, *rerumque maxime memorabilium series*. Illa enim exponit originem reipublicae, eiusque incrementa, variam deinde fortunam et interitum, eandemque ob caussam etiam leges et instituta, nomina et facta memorabilia virorum, quorum aut virtutibus aut vitiis reipublicae status sensim immutatus est, et quae alia in historia magnorum regnorum memoria digna habentur. Deinde etiam meminisse aequum est, nos in omni alia historia iis auctoribus, quorum fides et diligentia ex pluribus rebus nobis perspecta est, in ceteris etiam rebus iure nostro tribuere fidem, donec in singulis forsan narrationibus *probetur contrarium*.

Sic etiam meo quidem iudicio de Livio nobis iudicandum erit. Quamvis enim haud facile inveniantur auctores, qui veritatis studio

ei antecedant; negari tamen non potest, in *nonnullis* eum rebus enarrandis aut nimis anxia religione, qua auctores suos secutus est, aut subinde etiam, (raro tamen,) festinatione lapsum esse.

§. 15.

Praecipue autem in eo peccasse Livius videtur, (sive potius videri potest,) quod in antiquissima Romanorum historia tantum Fabium Pictorem ceterosque post eum *annalium scriptores* secutus est, antiquiora autem Fabio, rebusque aequalia monumenta non consuluit.

Multa adhuc Livii tempore exstitisse vetustissima monumenta dubitari non potest. Nunquam tamen ea se vidisse dicit noster, sed potius, ubi a ducibus suis se derelictum videt, nullam sibi ad verum inquirenti viam esse queritur. Certe etiam nonnullas res silentio praeteriit, quae, si tabularia antiqua inspexisset, latere eum non potuissent. Nihil enim apud eum legimus de foedere inter Romanos et Carthaginienses A. V. C. 245 icto, quod a Polybio L. III. c. 22. servatum est. Nec etiam foedus A. V. C. 246 a Romanis cum Porsena rege initum, quod Plinius adhuc legit [81]), Livio cognitum fuit.

Cur autem Livius, qui tantam in minimis rebus investigandis adhibuit curam, ipsos neglexit adire fontes?

Quod ad foedera, leges, Senatus consulta antiquissima et alia id generis monumenta attinet, quae in Capitolio servabantur, haud veri simile est, privatis facilem ad ea aditum fuisse. Polybium quidem foederum omnium, quae inter Romanos et Carthaginienses facta erant, exempla vidisse certum est; nusquam autem se ipsas, quibus inscripta erant, tabulas aeneas vidisse dicit; sed multo verisimilius est, a P. Scipione, quem in bello adversus Hanni-

81) Plin. hist. nat. XXXIV. 14. *In foedere, quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur.*

balem comitatus est, exemplaria ista accepisse. Scipio autem, quippe cui magna spes esset diuturni belli nova inter utramque rem publicam pace finiendi, satis caussae habebat, cur illa foedera, priusquam ad bellum proficisceretur, diligentissime perlustraret, ne si forte minus caute constituisset pacis conditiones, in aliquam senatus incurreret vituperationem. Nihil etiam ipsi in mora poterat esse, vel si totum exscribi tabularium voluisset. An tamen privato cuidam ad antiquas istas tabulas aeque facilis fuerit aditus, valde dubito. Foederum enim illorum cum Carthaginiensibus initorum tabulae, Polybio teste [82]), in Aedilium aerario apud Iovem Capitolinum erant reclusae. Cum autem ipsum Libertatis atrium, in quo tabularium Censorum fuit [83]), a pluribus semper aedituis custodiretur [84]): multo certe difficilior ad aerarium fuit aditus. Vnde non miror, Polybii tempore maximis natu hominibus summisque in republica viris eas tabulas prorsus incognitas fuisse [85]). Etenim si nulla etiam lege a tabularii publici aditu praeclusi fuissent privati, more tamen Romanorum id factum esse vix dubium est.

At Horatius tamen poeta

foedera regum
vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis

novit! [86]) Novit sane; utrum autem ipsas tabulas antiquas conspexerit, an potius foedera illa in annalibus aliisve scriptis legerit, non liquet. *Horum* enim foederum antiquae tabulae Dionysio Halicarnassensi teste in templis adservabantur [87]), Templa autem (plurima certe) ab aedituis non nisi diebus festis, et cum a magistratibus edictum esset, aperiri licebat [88]); neque tamen ullo modo, quae in penetralibus eorum abscondita erant, cuiuscun-

82) Polyb. hist. III. 26.
83) Liv. XLIII. 16.
84) ib. XXV. 7.
85) Polyb. l. c.
86) Epist. II. 1.
87) L. IV. c. 58.
88) Liv. XXX, 17. 40. *tum patuere omnia in urbe templa.*

que adspectui ea facile patuisse verisimile est. Nam e. c. terna iam ante Livii tempora opima spolia Iovis Feretrii templo fuerant inclusa; nemo autem ante Augustum ea viderat, nemo legerat inscriptiones [89]); nec ipse forsan conspexisset Augustus, nisi tandem post Lepidi mortem pontifex maximus factus esset, templumque illud reficiendum curasset. Dionysius etiam Halicarnassensis etsi l. c. ita fere loquitur, tanquam ipse foedus illud inter Tarquinium Superbum et Gabios ictum clypeoque ligneo bovis immolati corio inducto antiquis literis scriptum legerit: non tamen aperte id adfirmat, multoque verosimilius est, casu eodem, quo vetera illa spolia opima, haec foedera ab ipso Augusto esse lecta atque vulgata. Quod autem Plinius commemorat cum Porsena rege initum foedus, id eo demum tempore videtur innotuisse, quo Vespasianus imperator restitutionem Capitolii adgressus aerearum tabularum tria millia, quae simul conflagraverant (sub Vitellio), undique investigatis exemplaribus restituenda suscepit [90]). Eodem enim tempore Tacitus etiam comperisse videtur, Vrbem Porsenae deditam a Romanis fuisse [91]), cum omnes antiquiores scriptores foedus illud aliquanto minus iniquum fuisse credidissent [92]). Quidquid autem sit, aditum ad eiusmodi vetusta historiae monumenta aut lege aut more Romanorum privatis nisi prorsus interclusum, admodum tamen difficilem fuisse, ex eo etiam colligo, quod Dionysius Halicarnassensis, qui eodem fere tempore, quo Livius, per totos XXII annos in Vrbe versatus historiae Romanae operam dedit [93]), non magis quam Livius ista monumenta consuluit, neque alios quam ille secutus est auctores.

89) ib. IV. 20.

90) Suet. Vesp. c. 8.

91) Hist. III. 72.

92) Neque tamen scriptores illi negant Romanos acie victos esse, Ianiculum occupatum, agrum Veientibus restitutum, discedentique Porsenae obsides (iniquae pacis haud dubios testes) esse datos, *rel.* Magnam igitur illam historicorum Romanorum fraudem, magnumve errorem, quem Bellefortius in hac re iis obiicit, non conspicio.

93) L. I. c. 7.

Cur autem Annales etiam Maximos non consuluerit Livius, haud facile iudicari licet. Exstitisse enim eos, et a Cicerone, Quinctiliano aliisque lectos esse satis constat. Neque tamen Livius, ubi in rebus indagandis vel maxime incertus haeret, unquam ad eos recurrit. An fortassis praeter ea, quae a Fabio Pictore ceterisque annalium scriptoribus ex iis iam descripta erant, nihil tradiderint, quod ad dubitationes illas Livii tollendas sufficeret; an ex parte fuerint mutilati, aut ita, ut temporum series ex iis semper conspici non posset, fuerint disiecti [94]), ea omnia in medio mihi sunt relinquenda.

§. 16.

Magna tamen mihi Livium legenti praeterea incidit saepe suspicio, decem priores libros eum non Romae, sed priusquam Augusto aliisque summis iisdemque doctissimis viris innotuisset, Patavii scripsisse. Quod si ita sit, facilius intelligatur, cur historiae non adierit ipsos fontes. Multa sunt, quae ut ita rem esse credam, me movent.

a) Primum enim, si iam tum in Vrbe commoratus esset, cum opus ordiretur suum: antiquissimae Latinae linguae et scripturae certe non potuisset tam ignarus esse, ut miraretur, *Furium* et *Veturium* consules a nonnullis auctoribus *Fusium* et *Vetusium* scriptos esse. Id autem ex iis ipsis annalibus, quos consuluit, eum sensim didicisse, satis patet. Nam L. II. c. 19. (ad V. C. 254) haud dubitanter posuit: *T. Aebutius deinde et C. Vetusius.* At L. III, 4. (ad A. 290) *Furios*, inquit, *Fusios scripsere quidam; id admoneo*, ne quis immutationem *virorum ipsorum esse*, *quae nominum est*, *putet.* Ib.

94) Eiusmodi aliquid in historia XIII. proximorum post Tarquinium Superbum annorum factum esse, non dubito, nisi forsan a pontificibus maximis eius aetatis inter perpetuas patriciorum cum plebe contentiones annales isti in vulgus non sunt editi.

c. 8. (ad A. 292) *Consules*, ait, *creat T. Lucretium*, *et T. Veturium Geminum*, *sive ille Vetusius fuit.* Deinceps de istis nominibus non amplius haesitat. Varro autem, qui eodem tempore vixit, multis exemplis, quae in ipsa Vrbe cuivis, in primis literatis omnibus notissima erant, antiquos pro R. saepissime S. dixisse docet [95]); unde hoc vel Ciceronem non latuit [96]), quamquam ille quidem antiquitatis studio non aeque deditus fuit, ac Livius aliique historici. Credo itaque auctorem nostrum, si iam tum in ipsa Vrbe versatus esset, non ita scripturum fuisse; quodsi enim antiqua illa nec ipse legisset, ex sermone tamen doctorum virorum, quae cuiquam notissima erant, didicisset.

b) Nulla etiam alia ratione ea, quae apud auctorem nostrum L. IV. c. 19. 20. de Cornelio Cosso leguntur, explicari posse arbitror. Primum enim c. 19. minime haerens hunc Cornelium Cossum narrat A. V. C. 318. tribunum militum cum ipso rege Veientium, Tolumnio pugnasse, occisoque ei (c. 20.) spolia opima detracta in aede Jovis Feretrii cum solemni dedicatione dono fixisse. Inopinato tamen deinde Livius, „Omnes, ait, ante me auctores „secutus A. Cornelium Cossum *tribunum militum* secunda spolia „opima intulisse exposui; — sed titulus ipse spoliis inscriptus illos „meque arguit, *consulem* ea Cossum cepisse. Hoc ego quum Augu„stum Caesarem, templorum omnium conditorem aut restitutorem, „ingressum aedem Feretrii Jovis, quam vetustate dilapsam refecit, „se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem: prope sacri„legium ratus sum, Cosso spoliorum suorum Caesarem, ipsius „templi auctorem, subtrahere testem.“ Multa his addit, ex quibus

95) De L. Lat. VI. p. 70. — *ut in multis verbis, in quibus antiqui dicebant S., postea dicunt R.; ut in carmine Saliorum sunt haec: Dolosi, Eso — Cusiatii, Muses, Ruse, Foedesum, Plusima* rel. (pro *Dolori, Ero, Curiatii* rel.)

96) Ep. ad fam. IX. 21. *L. Papirius Mugillanus, qui consul fuit* annis post R. C. 312; *sed tum Papisii dicebamini.*

facile intelligas, quam molestus ille scrupulus fuerit nostro. Ab una enim parte omnes annales, ipsique libri lintei; ab altera gravissimus testis, Augustus! Videtur quidem huius cedere auctoritati; quid enim habebat, quod tali, qui ipse viderat, opponeret testi? Ita tamen se vertit, ut lectoris denique iudicio rem integram relinquat, et facile quisque intelligat, quanta ipsi fuerit suspicio, pro Cossvs Augustum, exstinctis forsan postremis tribus literis, Cos. legisse, eoque in errorem esse inductum. Quoquo autem modo ista res se habeat, nullus fere dubito, Livium, quae c. 19. et 20. usque ad illa, quae excerpsi, verba narrat, ea Patavii scripsisse, illa autem, quae de Augusto adiicit, deinceps interposuisse, postquam Romam adlatus esset. Nam si uno eodemque loco et tempore haec scripsisset, aliter certe omnia essent exposita, neque paullo post c. 32. in oratione Mam. Aemilii dictatoris *denuo* scriptum esset, A. Cornelium eo anno tribunum militum fuisse. Ceterum et hic locus aperte satis ostendit, veri amor quam penitus Livii animo fuerit infixus; quemlibet enim alium scriptorem totam illam historiam potius deleturum fuisse arbitror, quam in tantam ipsius Augusti testimonium, praesertim in haud magna re, implicuisset dubitationem.

c) Multa etiam Livius, si iam tum Romae vixisset, Augusti aliorumque summorum virorum ope potuisset forsan comperire, quae incomperta sibi esse queritur. Si tamen his coniecturis, quamquam maxime verisimiles mihi videntur, non adsentiatur aliquis, Liviumque potius negligentiae cuiusdam in hac re suspectum habeat: eo facilius cuiusvis cedam auctoritati, quo minus et ipse ab omni festinatione liberare eum audeo.

§. 17.

Magis autem in eo Livius peccasse operique ipse suo obfecisse mihi videtur, quod nihil aliud propositum sibi habuit, nisi ut

omnium, eorum certe, qui aliquo numero essent, **vetustorum annalium** conficeret **epitomen**. Ex hoc uno auctoris instituto multa continuo nobis explicantur, quae quomodo in eodem opere coniuncta sint atque inter se conveniant, alia ratione haud expediveris.

Quemadmodum enim a) veteres illi annalium scriptores singulorum omnium annorum historiam ut integrum aliquod caput tractaverant, separatimque digesserant: sic etiam noster, unde et ipse historiam suam *annales* vocat [97]. Vt vero nihil praetermitteret, primum ita, quae quocunque anno memoria digna videbantur, ea exposuit, ut in maximis minimisque rebus aut plurimorum aut maxime idoneorum auctorum vestigia accuratissime sequeretur; ita eoque, ubi duces suos consentire intelligit, minime haesitat, sed laetus quasi rem **constare** dicit; deinde autem, ubi alios aliorsum tendere animadvertit, in fine adiicit, nonnullos auctores a ceteris discessisse.

b) Vetustiorum autem scriptorum ita pressit vestigia, ut iis insistens interdum nimis securus neque ad ea respiceret, quae ipse iam scripsisset, neque etiam, quae deinceps sibi narranda essent, ea antea iam examinaret. Nam e. c. L. VI. c. 2. *ad deditionem*, ait, *Volscos septuagesimo demum anno subegit* (A. V. C. 366); at paullo post c. 8 — 12 in historia annorum 369. 70. denuo cum Volscis bella gesta narrat. Ipse auctor hoc miratur et: *Non dubito*, inquit, *praeter satietatem tot iam libris adsidua bella cum Volscis gesta legentibus, illud quoque subcursurum, quod mihi percensenti propiores temporibus harum rerum auctores miraculo fuit, unde toties victis Volscis subfecerint milites* etc. Simili modo L. XXIX. c. 22. (ad A. V. C. 548), ut Parreidtius iam monuit, Pleminium in vinculis mortuum esse scribit antequam iudicium de eo populi perficeretur;

97) L. XLIII, 13.

postea autem L. XXXIV. c. 44. (ad A. V. C. 558): *Pleminius*, ait, *in inferiorem demissus carcerem est, necatusque.* Idem Parreidtius L. XXV. 30. et XXVI. 21. Livium contradicere sibi contendit, quod altero loco Nasum captam, altero proditam narraverit; qui autem accuratius ea perlegerit, non admodum ea inter se pugnare animadvertet.

c) Interdum etiam ita loquitur de rebus gestis nonnullis, quasi antea ipse eas iam commemorasset, quamquam vere id aut oblitus est, aut non minus ac vetustiores annalium scriptores neglexit. Inprimis id in exponendis Romanorum cum Carthagine foederibus factum esse animadverto. In Epitome enim L. XIII., ubi de Pyrrhi tempore agitur: *Cum Carthaginiensibus*, ait, *quartum foedus renovatum est* (A. V. C. 474.) Quodsi autem quae antea hac de re narravit, ad ea respicimus, nihil ab eo scriptum invenimus, nisi L. IX. 43. (ad A. 447): *Cum Carthaginiensibus foedus tertio renovatum*, L. VII. 27. (ad A. 406.) *Cum Carthaginiensium legatis Romae foedus ictum.* Aperto id indicio est, primum illud, quod A. V. C. 245. Polybio teste cum Carth. ictum est foedus, ab auctoribus omnibus illis, quos Livius et Dionysius Halicarnassensis secuti sunt, ideo omissum esse, quod in antiquissimis annalibus (Maximis) nullam eius invenissent mentionem. Livium tamen, cum postea Polybium legeret, (legit enim,) lacunam istam non explevisse miror.

d) Tam pedetentim autem cum sequeretur suos noster auctores, non potuit non facillime errare, si quando aliquid de iis, quae deinceps exponenda erant, praedicere in mentem venerat. Bis tantum, quantum ego quidem animadvertere potui, id ausus est; sed in utroque etiam loco erravit. Eorum alter exstat L. VI. c. 42. ubi ad A. V. C. 388. de celeberrima illa T. Manlii cum Gallo pugna loquitur, et *Pluribus* ait, *auctoribus magis adducor, ut credam, decem haud minus post annos ea acta.* Deinceps autem,

postquam sequentium annorum historiam ita exposuit, ut eorum nullum praeteriret, pugnam illam iam A. V. C. 394. (non 398.) factam esse narrat [98]). Alterum locum infra perlustrabimus §. 19.

Omnia tamen ista, quamquam laudanda non sunt, Liviumque dormitasse interdum aperte satis testantur, iis, qui critice in Romanam historiam inquirunt, non possunt non simul esse gratissima. Vnum enim certe habemus auctorem, qui quae in vetustioribus annalibus legit, tanta fide ea reddidit, ut nec illa taceret, quae ei ipsi adversantur. Quod cum in *paucissimis* narrationibus factum esse videmus, eo magis augetur *omnium reliquarum rerum fides.* Multo autem magis vituperandus esset Livius, si alicubi, ut in errore aliquo sibi constaret, alterum ad alterum locum, incertus tamen sui, accommodasset.

§. 18.

Annalium autem veteres illi scriptores, quorum vestigia Livius fere nunquam reliquit, cum *non ubique* certam ad veritatem habuissent viam, necesse est, ut inter ea etiam, quae in auctore nostro leguntur, *alia* aliis sint *minus certa*, *nonnulla* etiam *dubia*, aut *ad fabulas reiicienda*, de quibus quae adhuc monenda esse arbitror, haec fere sunt:

1) *Plurima*, (et parum abest, quin dicere liceat omnia) quae apud Livium leguntur, continent ipsius *reipublicae historiam*, quae prope ab origine Vrbis certissimis iisque domesticis nititur documentis, ipsaque rerum serie se defendit. Vt enim antiquissimae tantum historiae breviter mentionem faciam: si dubitari non potest, Siciliam Romanos expugnasse; nonne antea Lucanos, Samnites, Hetruscos, Gallos adfines, et aliquanto iam prius Latinos, Volscos, Hernicos, Aequos, Sabinos ab iis victos esse oportet?

98) L. VII. 10.

Nonne omnia, quae arcte cum his reipublicae incrementis cohaerent, ita sunt certa, ut, qui neget, vix audiendus sit? Illa autem reipublicae incrementa cum multis domesticis Romanorum institutis, turbis, rerumque mutationibus non minus fuerunt coniuncta, ut, quae de iis tradita legimus, eadem fide sint digna. Quid itaque in istis omnibus superest, nisi (ut in omni alia historia) *singulae* res *singulis* nominibus suspectae? Quaenam autem in historia Romana illae sint, ipse Livius satis, ut opinor, dubitationibus suis indicavit.

Negari tamen non potest, *chronologicam* antiquissimae Romanorum historiae dispositionem magis etiam, quam ipse queratur Livius, interdum laborare, quod ita esse, non est quod miremur. Anni enim cum a priscis Romanis non certo quodam ab Vrbe condita numero, sed nominibus regum, deinde consulum notarentur; saepe autem eodem anno praeter consules initio creatos, consules etiam suffecti, dictatores tribunique militum consulari potestate rebus gerendis praeessent: non potuerunt non brevi post oriri temporum perturbationes, aliique in alios propagari errores. Quicunque autem in universa aut antiquitatis aut medii aevi historia vel mediocriter est versatus, miretur potius necesse est, historiam Romanam ab hac parte non magis adeo, quam vere est, esse impeditam. Fidem autem Livii veritatisque studium eam ob caussam, quod solus postea non omnia expediverit, defendere non attinet.

2) Reperiuntur tamen apud Livium et *narratiunculae*, quarum auctoritas non eadem omnium est, neque etiam iisdem, quibus ipsa reipublicae historia, nititur rationibus atque monumentis. De nonnullis quidem quod dubitemus, nihil est; nam e. c. de Lucretiae historia, quemadmodum a Livio exposita est, *cur* ambigat quisquam, non video. Sunt tamen et nonnullae merito suspectae, aut prorsus reiiciendae.

Aliae enim ex sola veterum *superstitione ortae* sunt, et aperte fabulosae, e. c. de Romulo multae, de Numae Egeria, de aquila Servii, Attii cote etc. Quas cur silentio non praeterierit Livius, supra iam dictum est. Siquis tamen in eo iudicium hominis vituperare voluerit, fidem non potest.

Aliae autem eiusmodi narratiunculae ex *coniecturis* ortae sunt. Multa Livii adhuc tempore exstabant summaque religione servabantur antiquitatis monumenta; ut templa Jovis Statoris, Feretrii, Sangi, Fortunae muliebris, sacra Accae Larentiae, Tarpeiae et infinita alia; statuae Attii illius Navii, Cloeliae, Horatii Coclitis; locorum rerumque omnis generis vetusta nomina, ut Tigillum sororium, prata Mucia, lacus Curtius, (qui locus in foro ex Scto septus erat [99]), et eius generis plura. Non minus in omnium ore erant familiarum quaedam et illustrium virorum antiqua cognomina, ut Brutorum, Horatii Coclitis, Mucii Scaevolae, Valerii Corvi, Appii Coeci. Quorum omnium cum quisque sciscitaretur originem, neque tamen in antiquissimis monumentis, unde nonnulla eorum orta essent, inveniretur; quid mirum, si tandem, ubi certi nihil poterat adferri, coniecturae, ut fieri solet, in fabulas hominum, fabulae in historiae memoriam transierunt? Narratiunculae autem istae cum a vetustioribus iam annalium auctoribus receptae, neque etiam omni ex parte essent suspectae: nihil Livio reliquum erat, nisi ut diceret, *ferunt*, *aiunt;* quippe cum neque omnes praeterire posset, neque singulae an prorsus fictae aut tantum exornatae essent, post tot saecula interiecta haberet exploratum. Multas tamen, quae apud ceteros historiae Romanae auctores leguntur, cautius omnino praetermisit.

Nonnulla etiam, quae Fabius Pictor ceterique eius aetatis scriptores de rebus ipsa Vrbe antiquioribus narraverant, ex *Grae-*

99) Varro de L. L. IV. p. 36.

cis fontibus hausta esse constat, ex quibus aliquot etiam narratiunculae in historiam regum Romanorum transductae sunt. An vero Hieronymus Cardianus, Timaeus Siculus et, quem Fabius ille Pictor potissimum secutus est [100]), Diocles Peparethius, qui circiter quinquaginta tantum annis Fabio antiquiores fuerunt, eas res accuratius ipsis Romanis potuerint scire, valde dubito. Livius quidem, Cicero, Varro, ceterique eius aetatis doctissimi viri fidem iis denegasse non videntur. Iam pridem autem Romani, etsi omnibus exteris gentibus molesti, in admittendis peregrinis Diis, superstitionibus, fabulis facillimi; quam itaque apud Romanos invenerunt isti scriptores fidem, ex ea iis haud magna accedit auctoritas. Quam ob rem quae de origine Romanorum atque antiquissimis eorum rebus isti narraverunt, etsi ea omnia aliquam admittunt dubitationem: refelli tamen non possunt; unde Livius quoque vituperandus non est, quod non omnem iis denegaverit fidem.

§. 19.

Omnino itaque in Livio alia sunt dubia, alia merito nobis suspecta; si autem numero ea cum toto opere atque iis rebus, de quibus dubitari nullo modo potest, comparaveris, *admodum sunt pauca.* At ipse Livius, *totam* antiquissimam Romanorum historiam *incertam esse* queritur! Ipse enim L. VI. c. 1. (ad A. V. C. 365): Quae ab condita, inquit, Vrbe — Romani gessere, quinque libris exposui, res cum vetustate nimia obscuras, velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod *parvae et rarae per eadem tempora literae fuere,* una custodia fidelis memoriae rerum gestarum; *et quod, etiamsi quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere.* *Cla-*

100) Plut. in Rom. c. 5.

riora deinceps certioraque ab secunda origine gesta domi militiaeque exponentur!

Iucundius quidem nihil excogitari potest, quam necessitas, historiam alicuius auctoris adversus dubitationes, quae ab ipso auctore motae videntur esse, defendendi, id quod tamen ad hunc locum a multis iam factum est, et a me etiam utpote de Livii fide recte aestimanda disserente prorsus omitti non potest. Ad ea tamen, quae ab aliis ad defendendam antiquissimae Romanorum historiae fidem iam scripta sunt, quae adiiciam, pauca sunt.

1) Quod Livius ait, *parvas* ea aetate fuisse literas, id iam ab aliis observatum est nihil aliud significare, nisi: in antiquis rerum Romanarum monumentis omnia *breviter* fuisse exposita [101]), de quo etiam non est, quod dubitemus. At etiam *rarae* fuerunt! id quod etiam L. VII. 3. testatur noster. Bellefortius, aliique haec ita intelligi volunt, ut antiquissimos Romanos nihil omnino scripsisse, adeoque artem scribendi iis incognitam fuisse credideris. Sed idem ille Livius, (uti et Dionysius Halicarnassensis, Plutarchus, multique alii) iam Romuli, Numaeque et posteriorum regum tempore foedera, leges, commentarios, multa denique alia scripta esse testantur. An igitur sanae mentis auctorem ita interpretandum esse censent, ut omnia, quae post tantas saepe de singulis rebus dubitationes tanquam certissima exposuisset, uno ipse deinceps verbo evertisse videatur? Num vere credunt Livium dubitasse, Romam eos, quos dixerat, reges, consules, dictatores habuisse? aut Sabinos, Volscos, Latinos a Romanis victos esse? Et quid denique est, de quo dubitare potuisset, praeter ea, quae tanquam incerta a ceteris ipse distinxerat? Nihil itaque aliud intelligi voluit, nisi: hactenus nonnulla se narrasse, quae dubitationes ipsi movissent, postmodo certiora se adlaturum.

101) Vide Drakenborchiam ad hunc locum.

2) At ea, *quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraque interierunt!* Ergo non omnia tamen, sed *pleraque* tantum, cuius quidem vocis apud Livium haud late patet significatio, nam e. c. nuntiatum est, inquit, et terram multifariam pluisse, et in exercitu Appii Claudii *plerosque* fulminibus ictos [102]). Quodsi autem ex antiquis illis monumentis non plura pro numero interierunt, quam in exercitu illo fulminibus icti sunt milites: haud sane magna fuit iactura. Ne tamen verborum ambiguitate antiquissimam Rom. historiam adversus auctorem, aut potius interpretes defendere videar: adiicere haud dubito, incendium urbis non fuisse tantum, quantum Plutarchus depingit, qui quidem totam urbem praeter Capitolium exustam esse [103]), et in primis etiam antiquissima historiae Romanae monumenta interiisse narrat [104]). Nam eodem illo loco, ubi haec exponit, diserte addit, ex Livio se illa hausisse, quem tamen, ut saepe, non stricte satis interpretatus est. Vere etiam omnes ceteri (quantum ego quidem memini) auctores de *capta* tantum et *incensa*, non omnino *diruta* urbe loquuntur [105]). Et ipse quoque Livius testatur, Gallos patria egressos novas sibi sedes quaesivisse L. V. 35. 36, unde verisimile est, capta eos urbe, si Capitolium quoque expugnare iis contigisset, ibi permansuros fuisse, eamque ob caussam magnam urbis partem servasse. Hinc etiam eodem teste, c. 49. *in semirutae solo urbis* aciem adversum Brennum instruxit Camillus; nec deinceps, c. 53, si praeter Capitolium nihil fuisset servatum, dicere potuisset: *stantibus Templis Deorum.* Curiam Hostiliam in

102) Cfr. etiam L. X. 13. *Eo anno plerisque dies dicta ab aedilibus, quia plus, quam lege praefinitum erat, agri possiderent.*

103) In Camillo c. 22. 28.

104) De fort. Rom.

105) v. Polyb. II, 18. *Τοτε μεν ποιησαμενοι συνθηκας προς Ῥωμαιους, και την πολιν ἀποδοντες ἐπανηλθον εἰς την οἰκιαν.* Dion. Hal. I. 74. *ἑαλω.* Aur. Victor in Fur. Camillo: *Sic et oppidum civibus, et cives oppido reddidit.* Polyaeni strat. VIII. 7. Euseb. Chron. *invaserunt.*

Coelio monte flammis ereptam esse, ex ipso discimus auctore [106]); neque minus certum est, templum *Sangi* in Quirinali colle, *Aedemque Fortunae* cum Tanaquilis adeo (ut fabula erat) colo et fuso, Serviique Tullii regis tunica undulata Varronis adhuc tempore superfuisse [107]). Ne tamen multus in hac re esse videar, id tantum iure meo adfirmaverim, ex tota hac incensae urbis descriptione non sequi, magnam veterum monumentorum interiisse partem. Quodsi autem praeter Annales Maximos, familiarum aliquot commentarios, et omnia illa vetusta monumenta, quae certissime servata esse constat, nihil etiam superfuisset: nonne Fabius Pictor et nobilissimi tot inter Romanos viri, qui antiquas res perscripserunt, pauca ea, quae ex ipsa quatuor primorum saeculorum historia Livius nobis reliquit, ex istis fontibus copiose satis potuerunt haurire?

5) *Clariora deinceps certioraque se expositurum esse* sperat Livius. Hoc autem scripsit, ut supra iam monui, antequam historiam sequentium annorum accuratius perlustrasset; et spes eum ista mirum quantopere fefellit. Multa fuerant in historia primorum 364 annorum, in quibus exponendis cum discrepare interdum animadvertisset auctores suos, non ubique, in minima quaque re quid verum esset, ipsi fuerat exploratum. Pungebat id eum; cumque persuasum sibi haberet, illas veterum scriptorum dissensiones ex eo tantum ortas esse, quod antiquiora hoc incendio ex parte interiissent monumenta: sperabat fore, ut deinceps omnia essent certiora. Qui autem, quae iam §. 12. a me adlata sunt exempla, ea breviter tantum perlustraverit, facile animadvertet, in historia annorum 365 — 459, quam deinceps L. VI — X enarravit, *saepius* adeo quam antea eum sui incer-

106) L. V. 55.

107) Plin. hist. nat. VIII. 48. Quanta etiam antiquissimarum statuarum vis servata fuerit, ex eodem auctore facile intelligitur, v. L. XXXIV. c. 6. — Sp. autem Cassius, cuius h. l. meminit, consul fuit A. V. C. 268, templumque illud stetit ad Carinas v. Dion. Hal. VIII. 79. Donati Roma vetus ac recens, Romae 1648. p. 219.

tum fuisse. Neque etiam, id quod magis mirandum est, in historia secundi Punici belli atque proximorum temporum, quamvis illa quidem a plurimis iisque aequalibus descripta esset auctoribus, minus multa queritur esse incerta [108]).

§. 20.

Quae cum ita sint, quod *toti* antiquissimae Romanorum historiae, omnibusque eius auctoribus, in primis etiam Livio, tantas moveamus suspiciones, quantas Bellefortius et, qui eum secuti sunt, nonnulli, meo quidem iudicio nihil est. Eadem enim ratione universam omnium regnorum atque gentium antiquissimam historiam facili negotio quisque evertat, omniumque scriptorum, quos memoriae eam tradidisse laetamur, labefactet fidem. Eorum enim quis est, qui res maximas minimasque omnes ita habuerit exploratas, aut ita eas perscripserit, ut nihil in iis desiderari possit, nihil ex aliis scriptoribus addi, utque criticorum diligentiae in toto opere nullus sit relictus locus? Num autem *artis* est, si quando animi incertum haerere eum animadvertimus, omnem ei denegare fidem? Indocto facile id concedas, docto nusquam. Nam eam ipsam ob caussam ceteris artibus merito adnumeratur *ars etiam historica*, quod qui eius peritus est, ubi singulos reperit errores, non statim nullo discrimine (qui quidem facilis est labor), omnia ad fabulas reiicit, sed potius, quamvis multo difficilius id fuerit, multoque maioris operae continentiae-

108) Cf. L. XXI, 38. de loco, quo Hannibal transierit Alpes. XXII, 31. XXV, 39. XXVI, 16. 49. „*Ne de ducibus quidem convenit — non de numero navium captarum, non de pondere auri atque argenti — Si aliquibus adsentiri necesse est, media simillima veris sunt.* XXVII. 7. *Carthaginis* (novae) *expugnationem in hunc annum contuli multis auctoribus; haud nescius, quosdam esse* etc. XXXVIII, 55. 56. *Multa alia, in Scipionis exitu maxime vitae, dieque dicta, morte, funere, sepulcro in diversum trahunt. Non de accusatore convenit — non de tempore, quo dies dicta sit, non de anno, quo mortuus sit, non ubi mortuus aut elatus sit.*

que, a falsis vera, ab incertis certa caute discernere didicit, adeoque ex fabulis interdum verisimilia quaedam eruere atque lucro sibi habere.

Sed haec hactenus! — Divina adnuente providentia, quae plurima per totam vitam in me contulit beneficia, et nuper factum est, ut POTENTISSIMI REGIS SAXONIAE, FRIDERICI AVGVSTI, summa indulgentia, AMICORVMQVE EIVS singulari benevolentia atque favore Literarum cum historiae studio coniunctarum in hac nostra Academia Professio Ordinaria in me conferretur. Quod munus, quo nihil exoptatius mihi contingere potuit, ut non tantum rite, sed cum bonis etiam ominibus atque votis publice adeam, in oratione, quae laudabili maiorum instituto a me recitanda erit, de *laeta* disseram *spe, quam praebet praeteritorum temporum historia, augendae et in posterum communis hominum salutis*, simulque vota pro salute AVGVSTISSIMI REGIS, totiusque novae, quam pridem amavi, patriae, incolumitate atque felicitate nuncupabo mea, votisque ea auditorum adiungam. Cui solemnitati ut benevoli intersint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCEPS CELSISSIMVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI, omni, qua par est, reverentia atque observantia rogo.

ERRATA NONNVLLA.

Pag.	lin.			
18	lin. 8.	a supr.	leg. 27, 31, 36.	pro 27, 30. 36.
19	9.		XXXI, 18.	31.
20 in adnot. 47.	lin. 4.	ab inf.	leg. 39. 41.	pro 39. 40.
	3.			cum Tarquinio marito et Servio genero in secretum abductis
25 in adnot. 50.	lin. 4.	a supr.	add. L. I. 31.	ante XXI, 62.
53	lin. 4.	a supr.	leg. *Si quis*	pro Siquis
56	4.		add. L. X. 31.	post *e. c.*

